





70

B. IV. 12. 74.

(Ms 299)

No. 189  
Annumeror Bibliothecæ  
HEROLDIANÆ.  
Anno MDCCIV.





# LEGES Scholæ Hallensis

ab Amplissimo Senatu

Latae A. M. DC. &  
Renovatae A. M. DC. XLVI.  
Typis vero exscriptae A. M. DC. LXI.



Prælo SALFELDINO.





COPIA  
Scholar  
M. D. C. &  
M. D. C. X. I.



FR. SALLERINO





CONSULES ET SENATORES

SALINARUM SAXONICARUM,

Scholarchis, Reçtori, Magistris, Hypodidascalis,

Studioſæ Juventuti, adeoq; civibus univerſis,

SALUTEM!

**C**um veriffimè dictum ſit: Eos Ver ex anno tollere, qui Scholas ſublatas velint, quippe quæ Reipub. ſeminarium, & totius civitatis alterum veluti patrimonium ſint, ſi benè fuerint conſtituta (nec verò multum inter everſionem & corruptionem Scholarum interſit:) agnoſcimus noſtri muneris eſſe, præſertim hoc tempore, quo ſuperiorum annorum calamitatibus Epidemicis, paſſim diſſipati ſunt, agrèq; recolligi hæcenus potuère cætus diſcentium; non tantùm vita neceſſaria, quantum divina liberalitas conceſſerit, Philomusiſ providere; ſed etiam ut legibus, moribus, inſtitutis, quam optimè iſta literata pietatis & virtutis officina gubernetur & ornetur, elaborare. Quamvis ergò Lectionum & exercitiarum, operarumq; Ordo olim præſcriptus, per ſe Legum & ſtatutorum plenus ſit: tamen cum diſciplina non minor quam doctrinæ ratio ſit habenda & in modo docendi multum, ab iis etiam, qui ſtadium rectè agendi habent, propter incogitantiam & ἀπειρίαν aliquando peccetur: putavimus ſpecialim de Officiis Inſpectorum, Magiſtrorum, Diſcipulorum, adeoq; Civium omniũ & ſingularum erga Juventutē Scholaſticam commoneſactiones breves ſubjiciendas. Conſtat enim quotidiana vita conſuetudinē, huiusmodi Regulis ac præceptis neutiquam carere: ac inprimis Scholaſticos cætus ceu ſeminariorum collegiorum omnium & agminum legibus gubernandorũ, ſine talibus monitiſ, ſive ſcriptiſ, ſive conſuetudinariſ, regi haud quaquã poſſe.

Cum itaq; cæleſtibus doceamur oraculiſ, obedientiam Deo gratiorem eſſe quam victimas, & obtemperare melius eſſe quam adipem arietum offerre. Contra verò nolle parere juſtũ imperiũ, eſſe tanquam ſceluſ Idololatria & Magia: Ut Samuel Prophetæ idem teſtatur. Non dubitamus quin juventuſ à teneriſ, huiusmodi vocibuſ manſuefacta, tantò prom-





ptioribus animis olim in virili & Senili atate, Divinis & humanis Legibus moribusq; patria sit paritura, contumaciamq; & rebellionem erga superiores, qua mille flagitiorum mater est, per omnem vitam detestatura. Breviter itaq; quibus Legibus vitam Scholasticam in nostra hac Republica commodissimè regi posse statuamus, hic subjungere visum est.

Ac primo quidem de Officio Scholarum, Rectoris & Praceptorum. Deinde discipulorum erga ipsos, & inter sese praestandis officiis. Postremo de Civium, qui vel parentes vel Tutores vel Hospites & Patroni sunt aut plurium aut pauciorum discipulorum, compendio quadam proponemus. Nam etsi Inspectores & visitatores nostri Gymnasii, praepetores etiam ipsos, quippe qui vivarum legum instar sunt, etiam sine praepetis & exhortationibus nostris, eorum qua sui fuerint muneris, memores omnino fore speramus. Tamen cum rectè dictum sit à Poëta:

Qui monet ut facias, quod jam facis, ille monendo  
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

Et ipsos Legum custodes & executores, Magistratus tam superiores quam inferiores, legibus alligatos esse conslet: nemini hoc alienum merito videbitur. Quod enim laudatissimi Monarcha THEODOSIUS & VALENTINIANUS l. 1. Tit. XIV. Codicis l. 4. de LL. & l. 3. C. de testa. l. 23. ff. de legat 3. l. 4. C. ad l. Falcid. Novell. CV. c. 2. §. 4. in leges retulerunt his verbis: Digna vox est Majestate regnantis, Legibus alligatum se Principem profiteri, adeo de autoritate juris, nostra pendet autoritas & revera majus imperio est. submittere legibus Principatum: Id profectò latius patet, ac de quibuslibet hominum statibus, qui alius praepositi sunt, rectissime intelligitur. Contra verò detestandus ejusmodi animus, qui potestatis aliquantulum nactus, omnia pro lubitu putat agenda: neminis autoritatem, monita, consilia, praescripta, sequenda.

Faxit Dominus JESUS IMMANUEL, ut quam pio studio, salubriq; consilio hac traduntur: tam promptis animis discipulorum & docentium, eadem suscipiantur: tantiq; fructus hinc in universam hanc Remp: & singula ejus membra redundent. Ejus enim solius cælesti operatione cõsequemur, ut oculus videat, & auris audiat; multaq; fiant, tum ipsi gratia, tum privatim & publicè quam plurimis salutaria.

LE-





LEGES SCHOLÆ HALLENSIS.

CAPUT I.

DE SCHOLARCHARUM OFFICIO.

**S**cholarcharum est, ad præscriptum ordinem lectionum & operarum Scholasticarum, Magistros & Hypodidascalos adstringere, Rectorem & collegas ejus, ut publicorum bonorum administratores, & dulcissimi preciosissimiq; civium nostrorum thesauri custodes & exornatores, sibi commendatos habere, diligentiam eorum, fidem, industriam, commendare: innocentiam adversus Momos, scíolos & Sycophantas tueri; sapius visitare tam docentium, quam discantium operas: In primis quoties aliquid emendatione dignum inciderit, Rectóri & Collegis consilio fideli præsto esse; Hortari ut concordiam & benevolentiam mutuam inter se colant; alii alios, ut fidos parastatas decet, mutua charitate & humanitate sublevent. Nec enim sinistra magis opus est dextrâ, quam Ecclesiis & Scholis docentium concordia, ut scitè dictum à D. Basilio. Nam discordia Collegarum & simultas, ut profectui discantium obstaculo; sic moribus offendiçulo est.

*Quoad:*

*1. Schola Collegas.*

Si quid compertum fuerit in hac operarum Scholasticarum forma minus accommodatum profectui hujus vel illius Classis, id non privato unius vel etiam plurium Præceptorum, sed omnium, Scholarcharum consilio, rationibus diligenter ponderatis, mutetur. Etiam si enim suorum cuiq; discipulorum captus & profectus maximè cognitus est: & praxis quoti-

*2. Operas Scholasticas.*





diana semper inopinari quid monet: tamen quod ad omnes pertinet, ab omnibus debet cognosci & approbari.

3. *Vacatias.* Si Locus quispiam inter collegas vacaverit, ut quamprimum idoneus Magister aut Hypodidascalus prædecessori substituat, cujus & pietas & eruditio conspicua sit, Scholarchæ operam danto, & ad Senatum de hoc referunto. Indoctos & ignavos suo patrocinio in Scholæ perniciem obtrudere vel fovere piaculum habetor.

2. *Collegarū negligentiam.* Si quis Collegarum in Officio negligentior fuerit, Rectoris correptioni morem gerere noluerit, horas laboribus suis destinatas sæpius neglexerit, Juventutis studia recte curare vel noluerit, vel nequierit, de eo post unam atq; alteram admonitionem, severius statuendi curam Scholarchæ suscipiunto. Ut enim in Repub. salus populi, sic in Scholâ discentium utilitas & felix profectus suprema lex esto.

5. *Examina.* Examnibus Classium semestri quolibet haberi solitis, inspectores ipsimet, si non universi, saltem bini aut terni intersunt ac præfunt: Neq; tantum profectum eorum, qui diligentes fuere, collaudanto, tardiores increpanto; sed etiam causas cur nonnulli diutius in Classe quâpiam hæreant, præfente Rectore & Præceptore ejusdem Classis, inquirunto: ut constet, utrum ea discentis, an verò docentis sit culpa.

6. *Diaria Ingenia.* Diaria lectionum, Scriptionum, & aliarum exercitiorum, quæ ex libris bonorum Autorum memoriæ mandandæ fuere, consideranto. Modus ut servetur inter nimiam festinationem, & ignavam tarditatem, tum ut delectus ingeniorum habeatur, quorum alia regulas facilius arripiunt alia feliciter exempla accommodant; alia celerius adiscunt vel tenacius retinēt, vel expeditius reddunt, pro re natâ momento. Sic enim artium radices, quæ dicuntur nimium amaræ, dulces reddi, & pulcherimarum rerum usitata difficultas longè facilior effici potest.

Quemad-





Quemadmodum in Repub. non minus malum est impunitas, quam tyrannica crudelitas; sic etiam in Schola vitandam pariter & plagosam sævitiam, & ἀπολασίαν, sæpius commonefaciunt: nec vulneribus facies & capita, nares vel aures ingenuorum puerorum deformari ferunt. Deterrentur enim parentes, etiam severioris disciplinæ amantes, nimiam asperitate docentium, & odia Scholastici ordinis inde concipiunt haud penitus indigna. Modus hic, ut ubiq; , optimus.

Si quis Præceptorum, aut virgarum capulis, aut baculis, aut colligatis clavibus, capita discipulorum obtuderit ad sanguinem usq; , oculos auresve læserit, aut stratos & provolutos humi pedibus calcaverit, de eo primum Scholarchæ cognoscunt, & severe talem crudelitatem enormem coercendo. rei q; veritate compertâ, ne literatæ pietatis officina in carnificinam degeneret, rem ad Senatum referunt.

Sin autem, ut multa sæpè fingi, & præter rem amplificari solent, magis cæsi malitia, quam Magistri sævitia peccatum sit, innocentiam bonamq; famam docentium, publicè privatimq; , hi qui inspectores constituti sunt, tuentur.

Omnibus enim modis elaborat Satan, ut innocentissimis etiam præceptoribus labem aspergat & honestissimos sanctosq; conventus cuicumq; potest hominum ordini invisos redat: cui malo singuli pro viribus occurrunt, & ut occurratur, provident.

Cum etiam privatæ Scholæ complures in hac inclytâ Repub. nascantur subinde ac denascantur, in quibus sæpe viginti 30. 60. diversissimi profectus pueri ab uno aliquo docentur quod in aliis benè constitutis Rebus pub. concedi non solet. Diligenter explorant Dn. Scholarchæ, num justis de causis parentes ad abstrahendos liberos suos à publicis præceptoribus adducantur, atq; si fieri possit à tali ἰδιοβελία deterrent!

Si

7.  
Discipli-  
nam.8.  
Discipulorum  
lesionem.9.  
Præceptorum  
famam.10.  
Satanæ  
technas.11.  
Privatas  
Scholas.



Si vero culpa lit Præceptorum, de illis emendandis, ut supra dictum, deliberanto.

12. *Mirēdos in Scholā.* Cum multi cives etiam sint, multi tutores, qui filios aut pupillos suos in omni nequitia sinunt adolefcere, nec in laudum eos, sicuti possent, volunt mittere. Jubemus Dn. Scholarchas, & nominatim quidem Dn. Pastores id, quod alioquin muneris ipsorum est, ut ejusmodi parentes vel tutores ad se vocatos graviter officii sui commonefaciant; qui refractarii sunt, & parere sanctis monitis recusarint, eos nobis per Ministrum indicent. Non enim tantum ad Ecclesiasticam, sed etiam ad Politicam gubernationem pariter spectat hæc sollicitudo: ne multitudo hominum nequam velut sentina latenter augetens totam Reipub. navem deniq; paulatim demergat.

13. *Pedagogos.* Admonebunt eosdem quoq; ut si per facultates possint, domi Scholasticum alant, qui publicè tradita privatim repetat & inculcet: aut si minus tantos sunt soli facere possint, cum aliquo Præceptorum aut vicini Pedagogo, de privata institutione conveniant, qui & in plateis, & domi, censor, monitor & hortator operum sit.

14. *Etatem puerorum.* Qui namq; septimum ætatis annum attigere, si sedere, legere & scribere paulatim non discant, omnem dissolutionem & ferociam segnitiamq; vitiorum multiplicium sentinam hauriunt. Id quod etiam de publicis Cathedris sæpitis expedit moneri.

15. *Festum Gregorianum.* Inprimis hoc par est fieri, cum post ferias paschales Gregoriana scholæ introductio solenniter ex more servari, & elegantiæ quædam veteri Scholarum inde usq; à Prophetiis in populo Dei, & Homericis temporibus, apud Græcos deductâ, jamq; fere ter mille annos continuata consuetudine anniversaria decantari solent. Qua festivitate verni temporis, & pue-





puerilis ætatis desideratissima lætitia docetur, florem generis humani esse Scholasticam Juventutem. Sicut hoc fine præceremoniæ sunt institutæ, ut doceant imperitos, ut Aug. Confessio loquitur (Artic. de Missâ §.I.)

Statum sit igitur hoc tempus, & Dominis Scholarchis, 16.  
& patribus familias, cum Præceptoribus de recta puerorum *Colloquia*  
institutione conferendi; Convivium quoq; Musicum hoc ipso *& Convi-*  
anni tempore celebrandi; ubi non Musica tantum, sed Musæ- *via Scho-*  
rum omnium princeps & Regina, Religio, Pietasq; litterata, *lastica.*  
publicis ad se rituum spectaculis, ineuntem ætatem etiam cum adultioribus invitat.

Rationes etiam accepti & expensi de illis, quæ pii cives 17.  
in Testamentis, Pauperum in Schola tam docentium quam *Rationes.*  
discipulorum commoditatibus & usibus, legarint, donarint, certo die, tempore Autumnalis Examinis & Catechetarum concionum subducuntur; nec in annos complures differuntur! ut quotannis & benè meritorum grata memoria renovetur, & plures ad similem liberalitatem exemplo invitentur.

Quatuor itaq; volumus à Scholarchis statas & solennes 18.  
quotannis institui Scholæ nostræ *visitationes.* *Primam* sub *Conven-*  
Quadragesimalibus Catechismi concionibus, quo tempore *tium nu-*  
pia vetustas scrutinii Ecclesiastici sacra celebravit; & cum Di- *merum &*  
vini nominis religiosa invocatione, Catechumenos ex Ethni- *tempora.*  
cismo vel Judaismo se ad Christianismum convertentes, piis Homiliis, Quæstionibus & responsionibus erudit. *Alteram* circa Pentecosten quando Musicum convivium de more celebratur. *Tertiam* ineunte Septembri, ipso die Martis, quo primam concionem Catechetica abfolverit Catechista. *Postremam* proximo die Mercurii post Nicolai, ad distributionem panni calceorum & aliorum.





19. *Inquisitionem & Explorationem.* Tum ab infimis ad supremas Classes ordine procedi: in Præceptorum & Discipulorum fidem ac diligentiam inquiri volumus: & quidem ad singula capita legum, cuilibet classi præscriptarum explorari: num satisfactum sit singulis officii partibus, tam in tradenda & inculcanda doctrina, quam in servanda disciplina: Commissoſq; excessus & defectus, salubri admonitione sine respectu personarum corrigi, & si qua fuerint incorrigibilia ad nos referri. Ne tamen festinetur, nevé nimis tardè procedatur, sed mediocritas servetur.

20. *Deprehensos defensorum.* Quod si vix duas aut tres paginas, duo triave disticha Catonis aliorumve autorum inferioribus, vix unam atq; alteram pagellam in Græcis ac Latinis scriptorib. toto semestri propositam fuisse Scholarchæ deprehenderit, ut aliquando factum; perfidam & impudentem negligentiam ejusmodi graviter castigandam & in extremas potius terras relegandam, quam diutius tolerandam judicanto. Nullus enim remedio locus, ait Seneca, ubi vitia, quæ sunt, mores fiunt.

21. *Usum præceptorum.* Si ex iis, quæ memoriter in Examine recitantur vel Grammaticis vel Dialecticis vel Rhetoricis præceptis, nihil ad usum transferre discipuli norint; sed Regulas, ut Pſittacus suum *χρήσιμα*, duntaxat demurmurent, diligenter utrum ea Præceptoris, an ipsorum, an utriusq; culpa sit, inquirunt: & ad diligentiam majorem, exhortantur.

22. *Ignaviam Collegarum.* Si quibus Collegis perinde videatur, utrum juvenus ad discat aut dediscat, numerus frequens an rarior sit: eò quod paucis minus laborum, multis plurimum oporteat impendere, cum tamen certum sit anni quadrantis salarium: hos graviter admonento Scholarchæ, quam grande nefas sit, publicam liberalitatem ad Musas excitandas collatam, ad easdem opprimendas & sacrilegam ignaviam alendam convertere.

Tem-





Tempore vilitatis annonæ deliberent Scholarchæ, remq; ad nos referant: quo pacto certum frumenti numerum de pauperum reditib. cœmere: in Granarium Scholæ reponere: & ut cibus in domo Jehovæ, ingravescentis annonæ tempore suppetat, nec pistor adedò parvulos panes, ut præsens cibariæ rei difficultas tamen fortè cogeret, famelicis pueris conficiat, & fame Musas affligat, providento! Sicut enim Joseph in Ægypto sacerdotib. alimenta providit, ne sacra deserere cogerentur; sicut per Malachiam Deus Opt. Max. hoc præcipit: ita meritò piis nutritiis Scholarum hoc unicè commendatum est: præsertim cum ante complures annos cives nonnulli suis Testamentis etiam tali calamitati prospiciendum putarint.

23.

*Annonæ caritatē.*

In Summa, quæ ad incorruptæ veritatis in Evangelio patefactæ, propagationem, ad virtutis studium & disciplinæ conservationem, ad artium & linguarum cognitionem, juventuti nostræ fideliter & feliciter tradendam pertinebunt: de quibus docentes & discentes admonendi fuerint, ea sibi Scholarchæ propter Dei gloriam, & patriæ communis utilitatem, unicè commendata habent!

24.

*Religionē, virtutem, disciplinā, artes & linguas.*

## CAPVT II.

## DE PRÆCEPTORUM OFFICIIS IN GENERE.

PRÆCEPTORUM est, paterno affectu discipulos fidei suæ concreditos complecti: nihilq; magis in votis habere, quàm illos precibus, labore, studio, industria suâ, reddere quàm optimos; pietate, moribus, litteris, quàm ornatissimos: tenuioris fortunæ Scholasticos promovere: ut civibus, ut hospitia commoda nancisci possint, commendare.

1.

*Præceptorum affectum vota studii solatia*

B 2

*Quem- calcaria.*



Quemadmodum ergò vir bonus est commune bonum; & ut  
Lucanus eleganter ait de Catone:

*Non sibi, sed toti genitum se credere mundo.*

Ita pius Gymnasiarcha totius urbis, imò plurium urbium,  
& Regionum, in excolendis puerorum ingeniis, commune  
bonum est. Qui incorruptam de Deo doctrinam propagando,  
imperitos erudiendo, monendo, corrigendo; dignos com-  
mendando, pro vehendo, ad iustitiam & virtutem assuefacien-  
do, barbaros mores dedocendo, multos per Dei gratiam de  
stercore & pulvere subleuat, & in sublimem dignitatis gradum  
inter proceres collocat, I. Sam. 2. v. 20. Hæc ludi magistri sapius  
sui & consolandi & excitandi, & adversus odia, contemptum,  
& calumnias imperitorum confirmandi gratia cogitanto,  
donaq; Dei in se talibus meditationibus exfuscitanto. His  
adversus hominum ingratitude, quæ multiplex est, adver-  
sus juniorum petulantiam, furorem & incogitantiam, quos  
sæpè vel invites & frementes servare necesse est, fideles præ-  
ceptores se armanto: Supremamq; in novissimo die,  
*μικροδοσία* spectanto, illius spe mille rædia, nulle calumni-  
as & injurias patienter & alacriter etiam devoranto! Non re-  
gale tantum sed etiam Magistrale est, malè audire, cum benè  
feceris. Pluris est, solatium bonæ conscientia, quam virus  
maledicentia faciundum.

2. Lektionen præscriptas, iisq; destinatas horas, ab initio ad  
*Lektionen* finem usq; fideliter præceptores obeunto. Similiter repetiti-  
*& Hora.* onibus, & pensorum recitationibus & scriptorum emendati-  
onibus, præstitutas intermedias integras horas & meditationi  
& mutua collationi discentium, quam ipsi præsentis guber-  
nare debent, relinquunt. Non binas horas continenter di-  
ctando conjungunt. Varietas enim delectat. & amant alterna  
Camœ-





Camœnæ, Satietae verò nihil in studiis perniciosius. Et omne superfluum, est intempestivum naturæq; inimicum.

Precibus & ante & post lectionem de more habendis, <sup>3.</sup>  
 præceptor interesse: votisq; ardentibus Deum Opt. Max. ut *Preces &*  
 laboribus docentium & discipulorum benedicat, sanctiq; Spiritus *laborum*  
 gratiam aspiret, unâ cum coetu discipulorum implorato: *exordia,*  
 Peractis precibus, non à disciplinæ censura seu plagis & correctione, sed potius à doctrina & ab institutione, & auditorum lectionum repetitione, suas operas orditor. Perfunctus docendi labore, dein quæ ad vitam & mores corrigendos pertinent aggreditor; Notas & signa immodestiæ, absentia, neglectæ linguæ latinæ, cognoscito. Nam animi commotio, quæ in cognoscendis delictis scholasticis incidere potest, longius à proposito mentem aliquando abducit & totam vel satis magnam horæ partem intercipit. Itaq; rectius ad horæ finem ista differentur.

Si quis Collegarum tempestivè non adfuerit: ad eum <sup>4.</sup>  
 Rector illicò ministrum qui accersat, mittito: si sapius tardè *Absentia*  
 veniat, Rectorisq; oburgationem contemnat: nomen ejus ad  *tardior*  
 Scholarchas, ne unius negligētia toti Reip. fraudi sit, defertor. *accessus.*

Si qua gravis emanendi causa alicui Collegarum ob- <sup>5.</sup>  
 jecta fuerit: cum veniâ & consensu Rectoris qui vicariam *Vicaria*  
 præstet operam, aliquis constituitor: ne totus coetus integram *opera.*  
 aut plures horas sine fructu cogatur perdere: imò ne deterius aliquid absente magistro, ut fieri assolet, contingat.

Per horas diesve complures absuturus nemo collegarum <sup>6.</sup>  
 sine primarii Scholarchæ alicujus veniâ discedito: qui, si *Veniâ*  
 necesse fuerit, cum Rectore & Collegis communicabit, quo *discedendi.*  
 modo interea discipulorum studia recte curentur. Nec enim levis est jactura studiorum, si aliquot horæ, ne dum dies frustra consumantur, cum temporis jactura sit irreparabilis.





7.  
Collatio  
mutua.

Collegæ superiores cum inferioribus & contra, sæpius inter se conferunt, tum de discipulorum profectu, tum de laborum suorum successu. Ne quod magno sudore inferiorum Classium didicerint : id superiorum negligentia dediscant. Cum non minus sit necessarium, ruminare & retinere cognita, quam addiscere ignota.

8.  
Fuga  
ιδιογνω-  
μοσύνης  
& moro-  
sitas.

Absit igitur hæc animorum ιδιογνωμοσύνη, ut nemo sibi putet curandum, quid alius ante vel post ipsum inculcaverit : absit ea morositas, ut ne verbum quidem alicujus regulæ aliter ex alio quopiam libello recitari sinatur ; sed potius æque laudabilis labor habeatur, feliciter alienis atq; propriis initiis super ædificare.

### CAPUT III. DE RECTORIS OFFICIO SPECIATIM.

1.  
Quoad  
corpus  
Scholasti-  
cum.

**I**nprimis autem hæc Reçtori data esto provincia, ut totum corpus Scholastici coetus curet. omnes & singulos Collegas sui muneris frequenter admoneat ; consilio salubri sic ubi opus fuerit, velut oculo suo dirigat ; negligentiores admoneat ac objurget : contumaces & refractarios, Scholarchis indicet. Quod si factum non fuerit, omnis Collegarum culpa dissimulando, connivendoq; jure in ipsum redundat Rectorem.

2.  
Collegas  
singulos.

Itaq; ut Collegæ singuli statis horis integris ab initio ad finem usq; sua quisq; diligenter obeant munia, Reçtor tam sollicitè, quam proprios obire tenetur labores, provideto ; ut enim in Musicis unica fides dissona totam turbat Harmoniam : sic inter decem Collegas si vel unus saltem officio desit, & Gymnasiarchæ, & totius Scholæ, adeoq; urbis dedecorat auto-





authoritatem; Itaq; ut Propheta loquitur, humero uno serviendum est JHOVÆ Sophon. III, 9. quod enim in primâ coctione peccatur, id in secundâ, ut Medici docent, non emendatur.

Non solum in publicis Examinibus, sed etiam alias sæpè <sup>3.</sup> Rector operas Collegarum inspicio: quæq; videbuntur le- *Examina* gibus repugnantia corrigito. Docentibus & repetentibus *Inspe-* subinde aliquandiu assistito. Et si qua magis ad captum ac- *tionem.* commodata proponi & inculcari possint, suggerito.

Quia verò quidam licet eruditi, non tamen rationem <sup>4.</sup> feliciter erudiendæ juventutis satis cognitam habent, quippe *Docendi* minus exercitati usive periti; monstrandus est illis docendi *modum.* modus voce Rectoris, & leges acuendæ: quarum alioqui multa capita velut nihil ad se pertinentia, quidam securè negligunt; nec tamen quidquam melius faciunt, imò cuncta deterius.

Ordine igitur de singulis Collegis, ac primum de Hy- <sup>5.</sup> podidascalis, dein de Cantoribus, postremo de Magistris su- *Ordo Le-* periorum Classium speciatim agemus: & quid primum *gum se-* in Schola, dein quid in Templis, postremo quid in plateis, *quentium.* funerumq; deductionibus singuli debeant præstare, dicemus.

#### CAPVT IV.

### DE OFFICIO PRÆCEPTO- RUM DECIMÆ CLASSIS, QUÆ INFIMA EST, ET SEX SE- QUENTIUM.

Cum Inferioribus septem Clasibus capita pie- <sup>1.</sup> *Scopus,* tatis quæq; ad latini sermonis facultatem pertinent, *docendum* tantum proponi soleant: in quibus septennium ferè *et discen-* usq; ad decimum tertium ætatis annum pleriq; hærent, neciû *suble-* tamen *vatio.*



tamen facultatem Latini sermonis ulteriorem consequuntur, quam quod magno labore vix aliquot periodos è Germanico vertunt, loqui tamen de iisdem, saltem tolerabiliter, nihil possunt. Videntur tardissimi huius progressus causæ etiam, penes docentes residere: quos consilio præscriptisq; legibus adjuvari par est.

2.  
*Ratio  
scopi.*

Cum enim iidem illi, qui tot annis discendo sermone Latino ferè nihil perdiscunt pueri, vernaculo de quibuslibet rebus loquantur expedite: Cumq; D. Augustinus (lib. 1. Confess. cap. 9.) fateatur se linguam latinam inter blandimenta nutricum & voces colludentium, sine regulis Grammaticorum in pueritia didicisse, cujus facultatem & elegantiam tamen postea præceptis & librorum optimorum lectione auxit & expolivit: cum idem nostri pueri in quavis lingua peregrina discenda, siue Gallica, siue Italica siue Polonica, possint anni vel biennii tempore consequi: cur non Præceptis & Regulis artis adjuti, si docentium conspiraret sedulitas & industria, idem possent consequi? cur tot annos in lingua Latina sine notabili profectu fatigarentur?

3.  
*Impedi-  
mentum  
profectus.*

Atqui non parum obstat, quod opera unius, non correspondet labori alterius, nec in ingressu, nec in progressu studiorum. Unde quosdam novimus diversorum sex aut septem Grammaticorum diversas Regulas discendo: tum declinando, comparando, conjugando multis annis fatigatos, nihil tamen quicquam Latine loqui, scribere verò perparum caluisse.

4.  
*Finis  
Scholarum.*

Cum verò pietas & Latinæ linguæ expedita facultas sint præcipui nostrarum scholarum fines duo; neq; sermo pueris utilior aut melior initio possit aut debeat inculcari Latinus, quam qui est de Deo, rebusq; divinis:

Sicu-





Sicuti capita pietatis Lingua vernacula primum sonare  
 consueverunt: ita merito etiam eadem colligendis litteris,  
 deinde syllabis Germanicè & Latinè conjunctis operis  
 primum legere & recitare coguntur. Non itaq; Latinum,  
 dumtaxat, sed Latino-Germanicum Alphabeticum libellum  
 & Catechismum & Donatum & Radices seu Vocabularium  
 & formulas Colloquiorum singuli habent.

Deinde ex illis ipsis quotidie aliquot rerum vocabula  
 excerpta, memoriae mandant: & in brevissimam sententiam  
 componere ex Praeceptoris crebra inculcatione discunt.

Decimae Classis discipuli Germanicam Catechesin  
 Psalmos legere & vocabula homœoteleuta discant.

Nonae Classis pueri post Lectionem expeditam etiam  
 Latinam, formulas Declinationum & Conjugationum ad-  
 discant.

Sententias item brevissimas ex Radicibus intellectas ta-  
 men, quae sex vel 8. Syllabas non excedant.

Octavani deinceps ex his antea cognitis dictionibus  
 composita addiscunt, & Declinationibus ac Conjugationi-  
 bus perpetuis exercentur.

Septimani declinationibus & conjugationibus in alias  
 formas illa ipsa jam cognita rerum vocabula praecunte Prae-  
 ceptore descedunt: & familiarem materiam in plures diver-  
 sas formas, per diversos casus, numeros, personas, tempora,  
 quasi ex mollitâ cerâ diversorum animalium figuras transfor-  
 manto: & sic declinationum & conjugationum, quas discunt,  
 usum, in vocabulis & sententiis ex radicibus jam notis co-  
 gnoscunt, Compendium Grammatices adjungunt.

Sextani earundem dictionum & sententiarum con-  
 structiones è Syntaxi discunt, hoc est, rationes quare sic, &  
 non aliter loqui oporteat, docentur. Imprimis autem ad

C

obser-





observandam convenientiam & discrepantiam constructionis in Latina & Germanica Linguâ sæpius deducuntur: Imò verò ad singulas regulas de hac admonentor. Quæ res incredibiliter & illustrat obscuritatem, & minuit discendi laborem. Plæræq; enim Regulæ communes sunt utriq; linguæ vel potius omnium linguarum: ut Adjectivi & Subst. convenientia: Relativi cum Antecedente: Nominativi cum verbo personali.

13. *Fructus laborum.* Si jam quotidie præter legendi rationem, bina vel ternarum vocabula, indeq; conflata sententiolæ discantur: quanta fuerit hæc & verborum & dictorum toto vel semestri vel anno collecta, & repetitionibus, tam assiduis quam hebdomadariis inculcata supellex!

14. *Ufus deficiens.* Quod si verò sola vocabula substantiva sine adjectivis sine pronominibus sine verbis, & conflatis inde sententiis didicerint; etiam si sex vel octo Centurias aut Chiliadas recitare possint, tamen tria verba saltem ad animi sensum proferenda, jungere vix poterunt: & quod magno tot annorum labore didicerint, quia nullus usus accedit, vel accedere potest, brevi dediscunt & obliviscuntur.

15. *Ediscendis addendis.* Itaq; non explodi quidem morem ediscendi vocabula sed per omnia dictionum genera augeri & extendi & ad praxin mox deduci, & usu quotidiano memoriæ rectius infigi volumus: ut postea scripturis & locuturis succurant facilius tam singulæ voces quam ex his conflata phrasæ.

16. *Cum arte jungendus.* Nec solo usu sine Arte linguam Latinam disci: sed usum non minus in Latina, quam vernacula Dialecto requiri: & plus à loquentibus quam docentibus, si Latinè non loquantur, præceptoribus, addisci posse contendimus.

17. *Praxis ante theoria.* Quod autem intolerabile & absurdum nonnulli clamant, ante theoriam & cognitionem regularum, praxin quam tentanda.



quandam exerceri, dictaq; Latina disci & inculcari & ad colloquia pueritiam deduci: spectrum est opinionis inveteratae penitus contemnendum.

Major namq; pars Grammaticae Latinae anomalia & exemplis, quam analogia & regulis constat, Varrone teste.

Et sicut innumeri Latine locuti sunt antequam ullae regulae vel à Varrone vel à Prisciano compositae, sic bona pars Romani sermonis, ut & Graeci & Hebraici, usu perdisci potest, quam deinceps regulae confirmant, augent & certiores reddunt: Etiam si solae sine usu nunquam quemquam loqui docuerint eleganter & expedite.

Ex his notis jam vocabulis & formulis loquendi, exempla Regularum, Orthographiae, Etymologiae, Syntaxis, potissimum petantur & singulis regulis plurima subjungantur.

Dein his Sextanis ut & Quintanis, ex his ipsis vocabulis & Lectionibus quas audierunt, ex Catonis versibus, Aesopi fabellis, Evangeliorum sententiis, Dialogi & Argumenta brevissima: potissimum in quibus Regularum nuperimè auditarum usus conspiciatur, proponuntur: Vocabulis & Phrasibus separatim monstratis in textu & interrogando primum exploratis discipulis, quid assecuti sint: quomodo variare phrasas per genera, modos, tempora, personas, possint.

Quartanis, cum Epistolas Ciceronianas, proverbia Salomonis & Terentium audiant, ex his ipsis lectionibus Dialogorum quotidianorum formulas è Germanico in Latinum vertendas: Ex Cicerone Epistolia similia ad Imitationem Praeceptor praescribit: Et quidem ad singulas Lectiones, singula exercitia colloquiorum, Epistoliorum, Oratiuncularum, Salutationum, Valedictionum adjicito: non autem peregrinas materias, in quibus nullum imitationis vestigium.

18.  
Ratio.19.  
Praxis  
per Regulas firmada.20.  
Exempla  
regulæ iungenda.21.  
Sextanorum  
&  
Quintanorum  
exercitia  
brevicula22.  
Quartanorum  
imitationes  
quotidiane.



23. *Lectio si-  
ne usu va-  
na & inu-  
tilis.* Quicquid enim his pueris ita prælegitur aut etiam edi-  
scendum injungitur, ut non repetendo & scribendo & loquen-  
do, similesq; formulas effingendo ad usum transferatur; id  
perexiguam aut prorsus nullam affert utilitatem: ut monet no-  
tiss. Epicteti dictum.

24. *Ratio à  
simili.* Ut enim nutrices si cibum duriores non præmansum,  
licet copiosum Infantibus ingerant, quem concoquere &  
in succum, sanguinemq; suum convertere non possint, sed vo-  
mitu rejicere cogantur, obsunt potius quam profunt: Ita qui  
pueris inculcant Lektionen & sententias Latinas, quas non do-  
cent ad usum transferre, saltem pſittaci more reddendas: pa-  
rum aut nihil discantibus commodant.

25. *Discretio  
capitū &  
ingeniorū.* In una verò Classe, in uno scamno semper sunt, qui plus  
aut minus assequi aut præstare possint: Discreto igitur hic o-  
pus est præceptoris judicio: ut diversis ingeniis convenientia  
reddat, ut assignet studiorum & incitamenta & præmia. Vidi-  
mus enim sæpè plus alterum semestri, quam alterum biennio,  
idq; sub uno & eodem præceptore profecisse, quosdam nihilo  
doctiores post anni vel biennii labores evasisse.

26. *Mutua  
præcepto-  
rū opera  
& com-  
municatio.* Cum autem præcipua sit hujus rei causa, quod superioris  
Classis præceptor sæpè non curet, quid aut qua Methodo do-  
cuerit inferior, quæ fundamenta jecerit: quid & quomodo  
superstruere profuerit: jubemus Præceptores hic tradere ope-  
ras mutuas, admonendo, conferendo, consulendo; ne cognita,  
dediscantur, sed plura feliciter his adjiciantur, ut supra dictum.

## CAPVT V.

## DE CANTORUM OFFICIIS.

I. *Cantorum  
numerus  
& conatus  
debitus.* **C**um quatuor sint nostræ Scholæ Cantores, quo  
templa totidem Musicis Choris ornari possint: & in  
septima Classe atq; etiam Octava primum seminarium  
saltem





saltem choralem Musicam canentium habeatur: comperimus non sine dolore neminem ferè vel in septimâ vel sextâ vel quintâ quidquam de ratione canendi didicisse: paucissimos etiam civium filios, qui in Schola Musicam didicerint, reperiri, ejusq; rei culpam Cantorum quemvis ab se in alium derivare.

Mandamus igitur seriò, ut singuli suum faciant in erudiendis Tironibus universis & singulis officium: & quidem factò à Septima imò etiam adultioribus Octavæ Classis initio.

Qui hora 12. præsto suis non fuerit: operasq; vel exerci-<sup>2.</sup> rationis vel Inspectionis vel institutionis Musicæ non obierit, *Absentis* Reçtori à ministro mox indicator: Reçtor absentem accersit. *correctio* Sitorus Coetus nec dum adfuerit; exordium operarum, *presentis* dum cœteri adveniant, à cantionibus duarum, trium, vel qua-<sup>opera.</sup> tuor vocum faciunt: in quem usum & libelli talium Carminum egenis distributi sunt.

Non minus eorum, qui nec dum cantare periti sunt, in-<sup>3.</sup> formandorum, quàm eorum qui periti sunt provehendorum *Imperito-* curam agunt: & quidem ut leges habent, à septimanis, assum-<sup>rum & pe-</sup> ptis quibusdam Octavianis, utpote inter quos pueri 10. vel 11. *riorum* annorum Discantum dulcissimè possent cantare, primordia *cura.* capiunt.

Operas inter se Collegæ distribuunt, sicut nimirum, ut tam <sup>4.</sup> imperitis, quam peritis pariter consulatur. Et quidem Infimæ *Operarū* Classes, Decima, Nona, cantiones sacras Lutheri usitatiores *distribu-* aut saltem singulos aut binos & aliquot versiculos vulgata *rio canēdi* Melodia hora 12 per semihoram canere, priusquam scribere in- *materia* cipiant, discunt, potissimum tota Septimana Psalmum illum *forma &* qui futura Dominica proxima in Templo decantandus, & à *scopus in* currendariis per plateas modulandus fuerit decantando, ut sic *Decimâ* *& Nonâ.* pusilli cum majoribus, pueri cum Parentib. domi & in Templis DEUM laudent.





5. *In octavâ & septimâ mâ.* Septima Classis & adultior pars Octavæ notas discat illius Psalmi simplici caractere choralis ad tabulam descriptas agnoscere, & per intervalla spatiorum & linearum sive gradus vocum exprimere. Responsorium similiter Latinum ejusdem Dominicæ sicut usitatum est, nimirum ex Evangelio sententiam Gregoriana Melodia sonare, quod sine Præceptis Musicis facillè fieri potest, viva Præceptoris voce præeunte.
6. *In sextâ & quintâ.* Sextæ & quintæ Classi eadem Cantio Lutheri hebdomadaria sic proponatur, ut reliquæ voces Altus, Tenor, Bassus adhibeantur, & Notarum varietates, ut etiam clavium, rudiori Minerva ex pagellis Fabri inculcentur, non tam ediscendo quam exercendo & canendo: ex his enim non solum Discanto sed & Alto in templis canendo multi possunt per ætatem adhiberi.
7. *In quartâ & tertiâ.* Quartani cum Novitiis Tertianis, in Biciniis & Triciniis, facilioribusq; quatuor vocum, quales Noribergicæ Musculi & Corberi sunt, cantilenis exercentur, ut Harmoniæ rationem à simplicioribus progrediendo rectius dijudicare, & intelligenter psallere, verba & syllabas textus expressè singulis notis subjungere discant. Sancta namq; sententia est anima Symphonix; sine qua omnis cantus est velut corpus sine pectore: strepitus potius aviū quam Musicus concentus hominum.
8. *In supremis classibus.* Supremis duabus ut & tertiæ provectioribus Musicæ præcepta ex Dreslero & Glareano proponuntur & Exemplis ex Orlando, Herpolio & aliis, qui Evangelia Dominicalia singulatim ad duodecim illos veterum modos, Phrygium, Lydium, Dorium, Jonicum &c. accommodarunt, illustrantur: & cantiones omnes tam Latinæ quam Germanicæ in Ecclesiis nostris usitatæ ad aliquem istorum modorum referuntur & diversitatis rationes eruditè, pro captu discantium indicantur: non tamen dictatorum multitudine discentes onerantur.

Etiam-





Etiamsi novitas maximè commendet cantiones, quo  
 nomine eas etiam in Scholis exerceri facillè patimur, tamen  
 eas in templis sic temerè exhiberi, ut solennes illæ, probatissi-  
 mæq; de præcipuis festis compositiones, à Josquino, Senfelio,  
 Gualtero, Orlando & aliis editæ intermittantur, aut eæ quos  
 Cantor aliquis ipsemet elaboravit, istis substituuntur, nullo  
 modo ferendum est.

9.  
 Cantiones  
 solennes  
 retinendæ.

Nam suavitatem cum gravitate mirabiliter ab excellen-  
 tibus istis artificibus conjunctam & decorum majestati rerum  
 attemperatum non assequitur illa novitiorum, licet se coele-  
 stem, Divinam vel angelicam ausit dicere, Musica; sed verius  
 petulans quædam volubilitas & garrulitas plurimarum vocum  
 dici meretur; imo Choreis saltantium, & jubilis potantium  
 quam Choris Deum in Ecclesia sobriè laudantium convenienti-  
 tiora sunt pleraq; novella Carmina, tanto quorundam applau-  
 su in templa quoq; recepta; Omnia decenter & ordine, omnia  
 cum dignitate & penso, in Domo Domini par est, nōn solum  
 choralis sed etiam figurali Musica geri, tanquam in conspectu  
 supremæ Majestatis; nōn ad titillationem futilis voluptatis.

10.  
 Ratio à  
 discrimi-  
 ne veteris  
 & novariæ  
 cationum.

Nullum igitur novum & inusitatum carmen exhibent  
 Cantores, præsertim in festis celebrioribus, nisi Pastorum & Nova in  
 Ecclesiæ Præfectorum suffragiis fuerit comprobatum, & in  
 Schola prius exploratum: Quod enim Plato dixit: mutata  
 Musica mutatur Resp. ejus rei nuper tristissima, pro dolor  
 vidimus exempla.

11.  
 Nova in  
 superioribus  
 consensu  
 exhibenda.

Introitus, Sequentias, Lectiones Biblicas, Catechismi  
 recitationes, Latinas Psalmias, ordinatione Ecclesiastica ob-  
 præscriptas, Cantores suo arbitrato neququam intermittunt,  
 sed majorum statuta strictè servant.

12.  
 Ordina-  
 tio Ecclesi-  
 astica ob-  
 servanda.

Psalmi eodem ordine Latinè decantantur, quo de S.  
 Cathedrâ vernaculo sermone leguntur & explicantur: &

13.  
 Psalmoria  
 ordo &  
 puerorum  
 præ-  
 assuectio



pueri à Cantore ad modestam & attentam auscultationem, assuefiunt, non in angulos correpere, vel mox finito cantu è templo pro volare, vel nugas agere, vel stertere, vel fructus esitare, atq; ita sibi quis atq; putaminibus sedilia contaminare, permittuntor.

14.  
*Psalmi  
explicandi  
Latini de-  
cantatio.*

Quando tamen Psalmus aliquis ordinariè ut Profabbatho fieri solet, explicatur, tum ille ipse semper donec finitus fuerit, vel pars ejus si prolixior fuerit, ante sacram Lectionem decantetur. Sicut etiam priscis S. Patrum Ambrosii & Augustini temporibus factum legimus.

15.  
*Psalmi  
explicati  
Germani-  
ci: decan-  
tatio.*

Quod si idem Germanicè à Luthero fuerit redditus, ut Pl. 14. 12. 46. 103. Germanicè etiam finita concione loco illius cantici: *Erhalt uns HERR bey deinem Wort* velut compendiaria expositio, & habitæ Homiliæ repetitio, decantetur. Nervosius enim in quibusdam ejusmodi paraphrasibus Rhythmicis explicata est quorundam psalmorum sententia quam prolixis quorundam commentariis.

### CAPVT VI.

## DE SUPERIORUM COLLE- GARUM OFFICIIS.

1.  
*Collatio  
Collega-  
rum cum  
Rectore  
cū primis  
superio-  
rum.*

Quanquam omnium & singulorum interest, ut Juventus quàm rectissimè instituat: & infimus æquè, ut superiorum quisquam cum Rectore tenetur conferre, si quid inciderit animadversione dignum: tamen proximos à Rectore potissimum intentos esse decet, ut & docendo, & mores ritè gubernando. quisq;, quæ sui sunt muneris, fideliter agat: nec per negligentiam, ea quæ Scholæ dedecorent ornamenta irrepere sinat.

Itaq;





Itaq; & Prorektor, & Tertius Magister & Quartus, tanquam  
oculi Rectoris, in Schola & in templis suæ vices inspectionis  
vigilanter & strenuè obeunto, suam auctoritatem vera pietate  
diligentia & virtute tueri & augere studento: si qua Rectorem  
fugiant, ad *novæ Phœnax* Scholæ pertinentia, de iis cum ipso  
conferunto: Nam unus vir non omnia videt; Nullum hic si-  
lentii præmium sperandum; sed potius crimen & flagitium  
proditionis boni publici pertimescendum, si quis non moneat  
monenda.

Cum Musica docenda vel exercenda est, Magister qui-  
libet horam suæ inspectionis obito: quo tanto frequentius  
& tempestivius omnes adsint: & cæteri, qui choris adhiberi  
non possunt, disciplina coercantur, & ab Hypodidascalis Ger-  
manicos vel Latinos Hymnos interea cantare doceantur.

Ad templum similiter tempestivè non post sacros hy-  
mnos absolutos, aut sub concione deniq; Magistri veniunt  
sed bono exemplo discipulis præeunto: quod blandissimum  
imperandi genus nominatur. Turpe autem est Doctori cum  
culpa redarguit ipsum.

Rectorem in præscribendis & corrigendis Declamatio-  
nibus, Disputationibus, & proponendis in gratiam pro vectio-  
rum supremæ Classis auditorum Lectionibus quibusdam  
extraordinariis, de quibus infra dicitur, fideliter adjuvanto.  
Et sic onera aliorum invicem, quoties necessitas postulat, ut  
Apostolus loquitur, portant.

Quæ memoriæ mandanda sunt, & in Examine recitanda,  
non tunc prius, cum duæ vel tres duntaxat restant usq; ad  
Examen septimanæ, discenda iungantur, sed toto semestri-  
um operatum tempore, ex singulis Lectionibus diligenter ex-  
plicatis & inculcatis, & repetitis, præscribantur, ne non intel-  
lecta magno cum labore nulloq; cum fructu ediscantur.

D

Exa-





7.  
Presentia  
in Exa-  
mine.

Examinanti Rectori propositas Lectiones à Secundo vel Tertio vel Quarto &c. semper is, qui proposuit eas, adsit, ut quæ desint suis discipulis, aut in quibus ipse suo defuerit officio, videat, quo deinceps eorum captui se magis accommodet. Nam examina non minus Præceptorum quam Discipulorum causa instituuntur.

### CAPUT VII. DE DISCIPLINA.

**Q**uerelæ passim de collapsâ disciplinâ, non minores quam de negligenter traditâ doctrinâ personant: Quamobrem de hac non generatim solum, sed in specie quoq; dici operæ pretium, ut corruptelarum causis è medio sublatis, utrumq; decus Scholarum per DEI gratiam reflorescat: quandoquidem alterum sine altero nihil admodum prodest. Quoniam igitur rectissimè dictum: Omnis doctrina est demta pietate venenum, & initium sapientiæ omnisq; modestiæ est timor Domini: oportet in plantando verò Dei timore omnes ordines, quippe ad quos pariter cura juventutis informandæ pertinet, conspirare, præceptorumq; laboribus & puerorum moribus adjuutores, censores, fautores, & sicubi opus est, pro ratione vocationis, correctores se præbere. Id quod his legibus ipsis & statutis unicuiq; pro modo vocationis, loco Dei severè injunctum volumus.

1.  
Scholar-  
cha.

Scholarchæ primò inspectionis officium sibi commissum fideliter obeunto: docentes ac discentes uti supra dictum, consilio juvanto: sæpè unâ cum Præceptoribus gravi & pia oratione vitia pullulantia, petulantiam, ἀσωτία, rebellionem, redarguunto: præsertim in visitationibus Examinum semestribus & trimestribus, ubi enim prophetia deficit, effertur populus Prov. 29.

Præ-





Præceptores non tantum fideliter & assidue docendo, 2.  
 horas suas semper obeundo, paterno affectu discipulis, tan- *Præcepto-*  
 quam ex se natis consulendo : sed etiam pie, sobriè, justè, co- *rss.*  
 ram Deo & hominibus vivendo, suam autoritatem tuentor &  
 augento : dictoq; audientes sibi pueros his artibus multo ma-  
 gis quam savitia reddere laboranto.

Si enim una hora Præceptor absit, & custode remoto 3.  
 pueris petulanter se gerendi, occasio præbita sit : etiam si altera *Horarum*  
 hora verberando & vapulando consumatur : plus tamen cul- *neglectus.*  
 pa & negligentia Præceptoris ad laxandam disciplinam ædifi-  
 cat : quam ad instaurandam castigatio commodat. Cum per-  
 versus exactor officii sit alieni, qui supinus neglector est sui.  
 Rectè dictum : ubi rigor ibi honor. Sed justus primum rigidus  
 censor sui, dein alieni peccati est Prov. 18.

Hypocrisis autem mera, est omnis sine pietate metuq; 4.  
 numinis modestia, quantum vis virginalis, cuiq; nihil præter *Pietas in*  
 occasionem desit ad proterviam. Ut dicitur *Templis*  
*& Scholâ.*  
*μὲν ἢ πονηρία.* Volumus igitur & in templis ad religiosam,  
 sacram concionum & cantionum attentionem, & in Schola  
 ad preces, sacrasq; Lectiones, ad Psalmodias, ad Catechismi,  
 Evangeliorum, Proverbiorum Salomonis, Examinis Theolo-  
 gici explicationem & auscultationem, & verbis & exemplis  
 Magistrorum, adsuè fieri juventutem : non connivere Præce-  
 ptores, non stertere, dum delinquatur : sed vigilare ne delin-  
 quant pueri.

Non igitur superficialiter aut perfunctoriè sed magna 5.  
 serietate sanctorum scientia tradatur : non unus tantum adsit, *Serietas &*  
 ubi quatuor Catechismo tractando, suis singuli Classibus *diligentia.*  
 præesse debebant. Non confabulandi gratia terni vel quaterni  
 ante auditorium prodeambulent horâ Catechetica : sed fun-  
 damenta omnis doctrinæ honestæq; disciplinæ tum sibi

D 2 singu-





singuli jacienda statuant, ubi qui desidiosas & remissas manus habuerit, maledictus voce divina fuerit.

6. *Fidelitas & fructuositas.* Qui fideliter utiliterq; docuerit: facile sibi audientiam mirabilem conciliaverit: etiamsi seniculus imbecillis, vel Juvenis imberbis fuerit. Contra qui indoctus, impius, ad docendum ineptus, & negligens, risui pueris est, etiamsi plagus & fastuosus fuerit.

7. *Pædagogorum cōstitutio.* Qui Pædagogi civium liberis præficientur, non solum testimoniis fide dignis, si peregrè adveniant instructi ut sint, advertatur, sed etiam aliquandiu diligenter in Schola nostra probentur. Docet enim experientia, stultorum Magistra, tales quosdam errone, pro scholasticis se gerere, qui plus vitiorum & flagitiorum contagiis obsint, quam docendo vel morès regendo profint. Tales ut notentur tempestivè & Rector & quisq; paterfamilias providendo.

8. *Patres familiars.* Patresfamilias enim & Cives suo quemq; loco ut Ecclesiasticum, sic & Scholasticum Ministerium fovere & promoverè par est: qui enim domi scandalis assiduis corrumpuntur, tam à malè moratis parentibus, quam famulis & Pædagogis, quàmnam illos disciplina Scholastica, licet severissima, frenabis?

9. *Scholarum & senatus imploratio.* Si quid autem in tota Disciplinæ Oeconomia perplexum & inexplicabile fuerit, Rectori & Præceptoribus oblatum: non satis expressè legibus istis descriptum, volumus id ad Scholarchas, ab illis ad nos deinceps referri: quos agnoscimus divinitus vocatos, non solum ad externam & politicam pacem ac tranquillitatem tuendam & corporalia dispensanda; sed & ad templa DEI vivētis, & Scholas quæ tēplorum seminaria sunt & appendices, ab omnibus inquinamentis & sordibus repurganda, sicut etiā Ethnicus Philosophus agnoscit: Ibi Cyclopium esse Rempub. ubi non viget publica de rectâ institutione juventutis cura.

Cum





Cum autem ad Spiritum S. omnes suspiremus, sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium, lava quod est sordidum &c. Merito & Pastores in templis & Magistri in Scholis & singuli intra privatos parietes, ardentibus suspiriis obsecramus: ut in hac ultima fece mundi Deus Opt. Max. & doctrinae & disciplinae refarciendae caelestem benedictionem aspiret.

10.  
Preces  
pro schola  
ab omni-  
bus sua-  
denda.

De excludendis insanabilibus & processu adversus eos servando dicitur infra capite peculiari.

11.  
Insanabi-  
les.

## CAPVT VIII.

## DE SCHOLASTICORUM

## OFFICIIS

## I. IN GENERE.

Cum Schola nostra scopum sibi hunc proposi- tum habeat, ut primum verae pietatis, Deinde Logica- rum artiū, Grammaticae, Dialecticae, Rhetoricae, adeoq; Latinae linguae & Graecae sit officina (ut supra dictum) Pietatis autem & virtutis prima debeat esse cura: Dein Latini, postremo Graeci sermonis etiam: volumus ut quaecunq; agent scholae nostrae alumni, ad hanc metam referant, obliti rerum aliarum. Nec enim acuenda solum & procudenda junioribus lingua est: sed pectus etiam complendum sanctissimis & honestissimis sententiis.

Secundum  
Decalogi  
praecipua:

Principio itaq; Scholastici a primis annis ea, quae ad Dei timorem amorem, fiduciam, humilitatem, patientiam, invocationem, cultum deniq; universum in rebus prosperis & adversis pertinent, serio diligenterq; curanto, profanitatem & Epicureum numinis contemptum, in quo vis hominum genere Idololatriam, superstitionem, ceu pestem, & omnis profectus salutaris certissimum impedimentum, omniumq; malorum Lernam detestantor,

1.  
Pietas co-  
lenda, Im-  
pietas fu-  
gienda.





2. *Orationis studium, vitiorum & abusus livini nominis odium.* Opem divinam Sanctiq; Spiritus gratiam ardentibus votis & domi privatim & in cætu condiscipulorum ante & post Lectiones, & in templis tam canendo quam orando devotè implorant: Hypocrisin, ineptos gestus & nugamenta, rixas, confabulationes, manducationes fructuum & leguminum in Choro, quibus hymni solennes aut quotidiani, similiaq; pietatis exercitia turbantur & deformantur, vitant: A juramenti, mendacii, perjuriis, maledictis, similibusq; Divini nominis abusus abstinendo. Cum DEus Opt. Max. qui ignis consumens est denunciet, se neutiquam impunè dimissurum, qui nomine suo abutantur. Nec dubium sit, Turcicam & Hispanicam Tyrannidem, famem, luem hominum & pecudum aliaq; publica tot jam annos grassantia mala, nefariis istis diris & execrationibus, quibus nunc. proh dolor! omnium ætatum homines juniores cum senioribus flagitiosè indulgent, attrahi & cumulari. Quod si quis suorum Præceptorum monitis & castigatione nolit emendari, jurandiq; & execrandi morem exuere: eum nobis durius castigandum volumus indicari. Publicis enim comitorum Imperialium edictis Magistratus jubentur hoc flagitium coercere. Anno 1530. Augustæ An. 1577. Ratis bonæ.

3. *Cultus in Templis frequentatio Impedimentorum devitatio* Sacras in templis Ceremonias & conciones tum Dominicis, tum aliis diebus feriatis & intercessis & profestis, omnes & singuli religiosè frequentant: Talem illic se quisq;, qualem decet in literatæ pietatis seminario plantatum, gerito. Qui garritu, clamoribus, gestibus petulcis, hic molestiam condiscipulis facesset, in Choro vel ad fores templi in Coemiterio, dum sacra peraguntur, lusitarit aut obambularit, pira, poma, siliquas, nuces, in sacro loco vorârit, Chori ostium aut transfennas cum scandalo Ecclesiæ transilierit, severè plectitor.

Hono-





Honorem, reverentiam, obedientiam, parentibus, Præceptoribus, Magistratibus, Ecclesiarum ministris, omnibusq; <sup>4.</sup> *Superioris*  
 adeò senioribus & dignitate præstantibus; exhibento: caput *honor: cõ-*  
 obviis aperiant: de viâ cedunt: monitis & increpationibus *tempus*  
 morem gerunt. Nam ut Samuel Prophetæ docet: Melior est *& inobedi-*  
 obedientia quam victimæ: & obtemperare præstat, quam ad- *dientia*  
 ptem arietum immolare. Nam scelus Idololatriæ par est, nolle *fuga.*  
 parere, & ariolandi flagitium est contumaciter rebellare. Sa-  
 muel 15. & Levit. 19. præcipitur divinitus: coram cano capite  
 assurge, & honora personam senis: quia ego Dominus.  
 Qui ergo irreverentia, contumacia, rusticitate morum & sese  
 & ordinem scholasticum dehonestârit, punitor: gravius qui  
 ludibrio vel maledicto, venerandam alicujus canitiem, aut e-  
 jus cui honorem debet, autoritatem, læserit: parenti, Tutori,  
 vel Præceptori maledixerit.

A pugnis, verberibus, rixis, minis, insidiis, similibusq; <sup>5.</sup>  
 omnibus, quibus vitæ condiscipulorum incommodari aut *Condisci-*  
 ægrè fieri possit, abstinento. Ideoq; pugiones, enses, sclopeta, *puli non*  
 tela, si qua peregrè attulerint vel apud Præceptorem vel Ho- *ledendi:*  
 spitem, deponunt. Si quis manus cum alio conseruerit: *arma,*  
 contumelioso nomine, scommate, disteriis acerbis, proxi *corporis*  
 mum læserit: odia, similtates, rixas, dissensiones, suscitârit: *& vite*  
 Similiter qui æstate in fluviiis natârit, & cum vitæ periculo *nocumen-*  
 DEUM frigidis balneis tentârit: vel hyberno tempore glaci *anda,*  
 em lubricârit, vel pilas nivales jactârit: punitor.

Impudicos gestus, sermones, vestitus, veritos esse sciun- <sup>6.</sup>  
 to: cum rectè dictum sit à Chrysostomo: Sermonem spur- *Impudici-*  
 cum, scortationis esse vehiculum. Et sapiens verissimè vestitu *tia fuga,*  
 risu, incessu, cor hominis argui dicat. Sirach 19. Chorearum *Verecun-*  
 lasciviam ne sectantur. Si quis fortè ad amicorum nuptias *dia cura,*  
 vocatus sit, pudoris & castæ verecundiæ memor esto. Ingerere  
 se



se choreis vocatorum, cum invocatus sis ipse, turpe iudicor.  
Ebricitatem & comotationes temulentas, nocturnas ditur-  
sationes, ceu pestem vitanto.

7. Permutationes, compilationes, fraudes & imposturas  
*Fraudis*  
*& furci*  
*odium.* omnis generis studiosè vitanto, & detestantor. Nec parenta-  
bus, nec hospitibus, nec amicissimis comilitonibus quid-  
quam, fiducia benevolentia arctioris, alienanto. Nam, ut ait  
Salomon, Qui furatur parenti, & negat hoc esse peccatum, so-  
cius est exterminatoris.

8. Vanitates, mendacia, falsa adversus condiscipulum testi-  
*Mendacij*  
*& falsita-*  
*tus dete-*  
*statio.* monia, ne quis proferto. Nam os quod mentitur, occidit  
animam: ut est in libro Sapientia cap. 1. Simulationes, occul-  
tationes, præstigias sophismatum, obrectationes, calumnias,  
proditiones, cane pesus & angue fugiunt.

Quod si verò quis pentarchi vel observatoris vel Ducis  
*Observa-*  
*toris offi-*  
*cium.* munere fungens, condiscipulorum agrestes mores Rectori  
aut Præceptoris, ratione officii indicare teneatur, aut ad dictio-  
nem testimonii productus fuerit: nullo modo hic, metu ca-  
lumniæ deserendum est officium. Et qui propterea diffamare  
condiscipulum ausit, severè plectitor. Quomodo enim di-  
sciplina ratio poterit haberi, si nemo delinquentes indicet!  
Quomodo Ludimagister ubiq; cernere cuncta poterit? Imò  
qui delictum poenâ dignum, sciens non detulerit, a quali se ca-  
stigatione puniendum sciat: Dicente Apostolo, quod pec-  
*Veritatis*  
*testimoni-*  
*um.* cantes & ουευδοκῶντες in pari condemnatione sint. Quod si  
verò contigerit innocentem falso deferri aut accusari: intre-  
pidè perhibeat condiscipulo testimonium veritatis, cui de illa  
certò constat. Veritas enim Dux est omnium bonorum vel à  
Deo, vel ab hominibus expectandorum.

9. Cupiditates vitiosas & rerum alienarum insidiosas  
*Cupidita-*  
*ris vitiosa*  
*reservatio, Candoris dilectio.* appetitiones à teneris unguiculis, ut omnium flagitiorum  
semi-





feminaria pro virili repellunt. Nam ut Comicus ait, ubi semel animus, se consuetudine devinxerit mala, necesse est studia consequi consimilia. Ideoq; candori affuescendum, ut sine invidentia & rancore condiscipulo faveas, & benevolè quemadmodum tibi ipsi, commoda sua vel augere vel conservare studeas.

Lusus igitur aleæ, chartarum, & similes, quibus alter alterius nummis inhiat: ne quidem conspiciuntor; nedum frequentantor, inter scholasticos. Quem ludendi cacoëthes penitus insanabile tenuerit, is à reliquorum contagio, si præceptorum castigationes contempserit, te cum Scholarchis communicata, excluditor. Nam vere Poëta: Dedit hæc contagio labem, & dabit in plures; sicut grex totus in agris,

10.  
Lusus a-  
lea &  
chartarū  
detestatio.

Unius scabie cadit & porrigine porci: Uvaq; conspecta fivorem ducit ab uvâ: Sic unius nebulonis petulantia inemendabilis, toti coetui perniciofa est.

## II. DE MORIBUS IN TEMPLO.

**D**iebus Fests ad Sacros Hymnos decantandos sacramq; concionem audiendam tempestivè post datum campanæ signum conveniunt.

I.  
Tepestivo  
ad Can-  
tiones &  
Conciones  
accessus.

Qui serius advenerint, non colaphis aut libris in sacro loco caduntor; non penitus excluduntor, & in plateis vel alienis locis templi vagari coguntor, sed per observatores notantor & Rectori Præceptoribusq; ceteris postmodum indicantor.

2.  
Tardorū  
observa-  
tio.

Qui causam tarditatis Rectori non probârit, plestitor: gravius in eum, qui sine causa justa prorsus emanserit, animadvertitor.

3.  
Eorū q; &  
absent. n̄  
correctio.

Qui absolutis sacris Cantilenis commodo ad vocem Pastoris audiendam loco stare in Choro Musico nō potuerint descendendi & in chorum auscultandi gratiâ se conferendi

4.  
Loci com-  
modi decēs  
veni-usurpatio.

E





veniam petunto, modesteq; ibidem se gerunto, & Homiliã finita, rursus ad Symphonicos sine strepitu accedunto.

5. *Concionũ  
annota-  
tio.* Ad excipiendã sacrarum Concionum summas, singuli peculiarem libellum in templum adferunto: Locos doctrinæ præcipuos & Scripturæ dicta paulatim accuratius notare asuefcunt: ut exigentibus illa magistris in Schola representare: & Dn. Scholarchis pietatem in examine testari possint.

6. *Cãtionum  
debita  
expressio.* Religiosè sancta Carmina non notarum appellationibus: ut, re, mi, fa, sol, la, non incertis dubiisq; phthongis in gutture formatis & sine mente sonis, sed ad suam & aliorum quoq; intelligentiam verbis & syllabis singulis diligenter expressis canunto, à risu & strepitu abstinento: neminem unã canentium turbanto: Cantori & adstanti Magistro dicto audientes sũnto.

7. *Confabu-  
lationis,  
excursio-  
nis, lusus  
&c.  
sub concio-  
nibus  
fuga.* In latebras & angulos confabulationis ergò ne corre- punto: è templo sine veniã Cantoris ne procurrunt, nec interstitia transcendunt, nec cum Laicis nebulonibus sub sacra Panegyri in cœmiterio discurrunt, vel ludunt, vel arborum fructus clanculum vorant: nec locum sacro sanctum quisquiliis, siliquis, putaminibus, polluunt, multo minus ad sulphurata vel alia vina bibenda cum impiis lurconibus, abduci se sinunt.

8. *Præcepto-  
rum scan-  
dala &  
bona exẽ-  
pla.* Præceptores sub S. Concionibus non confabulant, non stertunt, nec speculatores cœci sũnto: sed & bono exemplo reverentiam erga ministri vocem declarant, & oculo suo ut Pf. 32. loquitur iuventutem dirigunt. Nec moris dicitq; gratia templa cum discipulis frequentant, sed Parentum aut Tutorum loco, juniores ad sacra reverenter audienda & auscultanda, seriò & graviter deducunt. Quoniam verè dictum: omnis doctrina est, demta pietate, venenum, & à bove majori discit arare minor.

Præsta-





Præstaret enim nullas esse Scholas, quam tales profanæ  
 eruditionis officinas, ubi plures sunt sententiæ Horatii aut Pin-  
 dari, quam oracula Spiritus Sancti, ubi sub sacris concionibus  
 sententiæ Ciceronis vel Aristotelis potius legendæ, quam  
 S. Conciones reverenter audiendæ præcipiuntur, vel saltem  
 exemplo (quod blandissimum genus imperandi est) jubentur,  
 vel confabulari vel stertere juvenus docetur.

Hymenæis canendis frequentes cuncti inter sunt, non  
 curiositate videndi sponsas sive promiscuè discursanto, neq;  
 sic vacuum chorum Cantori relinquunt. Vespertinis Domi-  
 nicis, & semestribus Catechismi solennitatibus, qui capita pie-  
 tatis ex vernacula Lutheri interpretatione recitare jussi fue-  
 rint: muneri suo assiduè deserviunt: avocamenta quævis  
 facessere jubent: tardè, distinctè, clarè, syllabis neq; oppressis  
 neq; nimium expressis pronunciant, ut quoad fieri possit,  
 omnes in toto templo exaudiant.

Operosis diebus qui ad vespertinas preces ex Septimanis  
 aut Sextanis fuerint delecti: Psalmum Latinum & Germani-  
 cum & Hymnum & Canticum Mariæ in templo decan-  
 tandum, in Scholâ prius horâ 12. per legunt & decantant: ne  
 coram cœtu populi fœda titubatio, vel solœcismorum,  
 κακοφωνία deformet psalmodiam, dedecoret scholam & Præ-  
 ceptoris arguat oscitantiam.

Idem fiat, si Ordinationes Ministrorum Ecclesiæ fuerint  
 celebrandæ, piisq; hymnis & Antiphonis honestandæ. Ut enim  
 Demosthenes non scripta solum, sed & sculpta coram populo  
 dicenda monuit: Ita nihil in cœtus Christianos è Schola, nisi  
 perfectum diligentia Præceptorum & elat orarum industria  
 discipulorum adferri debet.

Verba Cantionis cujuslibet præsertim figuræ in tem-  
 plis exhibendæ, sæpius perlegenda scholasticis dentur, ut  
 memoria





memoriæ mandentur: præsertim iis qui longius absistunt à pulpito: ne quia eminus legere non possunt, insulsam sine mente sonum, loco textus in sacris reddant. Si qua verba indigna sunt, quæ memoriæ mandentur: ea ne quidem optimis Harmoniis reddita, in templis canantur, aut serantur: sed sanctiores sententiæ potius iisdem compositionibus, subiungantur.

14. Ad eundem usum operæ precium fuerit bina saltem exemplaria habere Melodiarum exhibendarum; ne, qui eminus stant, nihil videntes frustra adsint, vel solas notas, inconditè jacent.

15. Si qua difficiliora sint carmina, non sub concione Pastoris vel Diaconi primum in Appendice Chori cum scandalo non sub Ecclesiæ explorantur, sed diebus aliquot ante in schola & præconcione sicutis horis exercentur. Nam reverentia erga Ministerium, sed in præcipuus est coetuum Scholasticorum scopus. Infelix enim & inauspicata Cantilena est, si alios ad diligentiam audiendi turè exer. verbum invitet: ipsa vero canentium aures ab eodem abducatur.

16. Si sævitia hyemis sit acrior, alternatim ad ignitabula, Ignitabu- quos frigus urit admittuntur, non tempore concionis per la hyber- Coemiteria perq; plateas domum ad focos discurrere permittuntur, multo minus ex uno templo in aliud prætextu concionum scribendarum vagantur. Nec enim dissimilis ea perverfitas est illorum, qui Arcam Noë ædificabant, ipsi verò intrare nolebant. Et impiè sustinent partem ejus Ministerii, cujus contemptores sunt ipsi.

### III. DE MORIBUS IN FUNERUM DEDUCTIONE.

1. *Pietatis mortalitatis & resurrectionis per Musicam professio & impressio.* **U**t aliàs in templis & Scholis; sic etiam in plateis inter Cereemonias sepulturæ Christianæ destinatas, doctrinam sincere





sincerae pietatis religiosè sonanto, publicisq; carminibus antipharmaca mortis, quam omnium terribiliam terribilissimam Philosophus dicit, profitentor; omnem hic fugiunto ἀποζητεῖν & ἀχρηνοσύνην: fidem de gloriosâ resurrectione gravi & cordata Musica sensibus infigunto.

Sive IX. XII. vel III. hora finus deducendum fuerit, ad <sup>2.</sup> primum campanæ signum singuli se præparanto, in puncto <sup>Matura</sup> horæ Scholam egrediuntor: biniq; modestè sine clamoribus <sup>& decens</sup> & petulante gestu procedunto. <sup>egressio & processio.</sup>

In conspectum eorum, qui finus deducunt, ubi ventum <sup>3.</sup> fuerit, cum domus transibitur, è qua finus efferetur, similiter <sup>Exequia-</sup> capitibus nudatis reverentiam tam matronis, quam viris <sup>torum,</sup> honoratis exhibentor. <sup>nudato</sup>

Si ditiores pecuniam in exequiis distribuunt: ordine <sup>capite hoc</sup> modestèq; singuli quod datur accipiuntor: acceptis contenti <sup>uoratio.</sup> disceduntor: non catervatim remanentor, vel ut amplius frau- <sup>4.</sup> dulenter emungant recurruntor. Illiberale siquidem hoc est, bo- <sup>Pecunia</sup> næ frugi Scholasticis indignum, procul ad calones & Halones <sup>distributa</sup> ablegandum. <sup>acceptio.</sup>

Cantorem singuli canendo fideliter adjuvantor: ducem <sup>5.</sup> sequuntor: non festinando foedam dissonantiam inducuntor: <sup>Cantoris</sup> ut aliud in primo, aliud in extremo processionis agmine, cum <sup>sublevatio</sup> totius Scholæ pariter & Reip. dedecore resonet: cum <sup>harmonica.</sup> Musica <sup>ca.</sup> benè morata pulcherrimum sit Harmoniæ politicæ Sym- bolum.

Qui datâ operâ vel in his processionibus vel in Templo <sup>6.</sup> cantilenam deformâsse, aut præceptores ita ludibrio expo- <sup>Turbatio</sup> nere voluisse convictus fuerit, ceu profanæ petulantiae reus <sup>in pœna.</sup> graviter mulctetur.





#### IV. DE MORIBUS IN PLATEIS ET FORO.

1. *Discursio, lustratio, iurgia vitanda.* **E**orum quæ supra in genere dicta sunt, non solum domi in scholâ & Templis: sed passim etiam in locis publicis & plateis memores se præbent. Non itaq; discursitando per plateas, fora, cœmeteria, non arcubus, pilis, globis, aliisq; in publico ludunt: non manus conterunt: sed modestiâ morumq; innocentiam scholasticum vitæ genus & literatæ pietatis studia omnibus probare grataq; & laudabilia reddere conantur.

2. *Recreatio in loco extraneo.* Recreationi animorum, lusui pilæ, vel trochi, vel cursui vel saltui, non urbis plateas, sed galeritarum campos, vel alias planities extra portam tribuunt.

3. *Consortia & colloquia.* A Laicorum nebulonum commerciis abstinendo: non in triviis oscitabundi hærento vel spectacula ludionum aucupantur, vel hæc illac circumcursant: sed cum æqualibus & symmystis rectâ domum festinant: Latine tantum colloquuntur aut à Coryceis notantur.

4. *Observatores.* Observatores in singulis plateis & vicis ordinantur: officium faciunt: nã faxint à Præceptore vapulante. Redundat enim impunitas illa, non solum in Præceptorum & Scholarcharum sed & Magistratus, qui personam civitatis sustinet, ignominiam.

5. *Pædagogi.* Si pædagogi sint pueris adjuncti: à Rectore vel Scholarchis, Parentibus vel Tutoribus denunciator, ne pueros citra inspectorem oberrare sinant, sed pædagogum quisq; alat.

6. *Pyxiphora.* Si obstitit res angusta domi: ejusdem plateæ cives, terni, quaterni aut plures, pyxiphorum ex currendariis alunt: qui moribus præsit: commeantes in ludum comitetur. Et hic ditiores pauperibus æquum est vi Christianæ charitatis gra-



gratificari, nihil de cœlesti præmio dubitantes, cum totius urbis dedecus ita pro virili amoliantur.

Imprimis cum à funerum deductione vel quotidianâ per plateas psalmodiâ currendariis domum est redeundum: non cursitent exemplo Laicorum nebulonum aut cacularum aut porcorum ex agris ad stabula prouentium: sed bini tam diu modestè procedant, donec ad locū habitationis suæ venerint.

## CAPVT IX.

DE EXERCITIO LINGVÆ  
LATINÆ PER CLASSES PRÆSER-  
TIM INFERIORES.

**U**T autem Ordo quidam in colligendis Litteris & Syllabis: substantiuis, adiectiuis, pronominibus verbis & phrasibus inde connectendis observetur, & Methodus tum in docendo & discendo, tum in exercendo adhibeatur, omniaq; in ipsa etiam serie primæ institutionis ad pietatem, utilitatem & facultatem, per oracula cœlestia disponantur, ut & doctrinam sinceræ religionis & linguas magisterio Spiritus Sancti puerilis ætas hauriat:

Qui primum accesserint in decimam referendi: ut tanto citius & facilius litteras Alphabeti agnoscant, syllabas colligant & voces, neq; annos complures in eo, quod breuiore spatio, perfici potest, consumant, aut inter septimanos Sextanos, Quintanos, sedentes, hoc est quadriennium aut quinquennium in Schola versati, legendi rationem adhuc ignorent: Severè mandamus, ut infimarum Classium Hypodascali antemeridianis horis tribus saltem bis: pomeridianis ad minimum semel singulos pueros seorsim, non totas Decurias simul, non stertentes sed diligenter attendentes, & errata corrigentes audiant.

7.  
Curren-  
darii.1.  
Modus  
informã-  
di, pueros  
classis De-  
cima.

Sequen-





2. *Octava, Quinta, Sexta, Septima* Sequentium deinde, nimirum Octavæ, Septimæ, Sextæ, Quintæ, singulis horis singulos legentes & exponentes, non somnolenter, sed attentè, non per puerum sed ipsi per se singulos seorsim audiant, eos qui suggerunt, castigent: ne fucum Præceptoribus faciant, & seiplos & parentes, sic discendo, ut nihil discatur, decipiant.

3. *Ratio à Schola proprio & damno* Nam in hoc ipso Schola quoq; veritatis officina mendacii & simulationis castigatrix esse debet: Novimus qui Donatum & Grammaticam felicitate quadam ingenii memoriter recitarunt, cum tamen oscitantia vel perfidia Præceptorum sic perditii essent, ut vix ullum verum recte legerent.

4. *Expedite lectiois promotio* In hunc usum quoq; Psalmodiæ non solum in templis, sed etiam in Classibus restitui, versus alternatim decantari. Capitula Bibliorum quoq; Latinè & Germanicè legi: Periochæ Evangeliorum in matutinis precibus Latinè & Germanicè decantari à scholasticis solent, & ut hoc sine titubatione præstari possit, præexercitamina scholastica, & delectus eorum, qui bonitate vocis excellunt, habentor.

5. *Psalmorum decens recitatio & decantatio* Non igitur Germanicos & Latinos Psalmos absentibus Præceptoribus, ut fieri solet, edisci: sed alternis versibus, clarè distinctè, tardè, recitari, adeoq; decantari etiam statis horis (ut supra de Musica monitum) præcipimus. Idq; ut dictum est, claræ, distinctæ, tardæ, beneq; in tonandæ lectionis ergò.

6. *Litera & vocabula stylo monstranda.* Nec literæ Alphabeti nec vocabula & sententiæ cum totius agminis murmure vel boatu duntaxat redduntor, sed stylo singulæ literæ, syllabæ, rudioribus seorsim monstrantor.

7. *Singulorum iterata auditio.* Si quis igitur totis tribus antemeridianis horis, vel pomeridianis, ne semel quidem ab Hypodidascalo fuerit seorsim auditus: id sive malitia sive negligentia factum sit, à Rectore, severè corripitor: si Rector neglexerit, à Scholarchis cognitum, acti obijuratione corrigitor.

Ne





Ne verò per negligentiam hoc possit fieri: Decima <sup>8.</sup>  
 Classis ut sequentes in Decurias & Pentarchias distribuitor. <sup>Classis</sup>  
 E primæ Decuriæ, primâ Pentarchiâ primus, dein ordine cæ- <sup>in Decu-</sup>  
 teri progrediuntor: singuli tamen audiuntor: Singulorum <sup>rias & pē-</sup>  
 profectus cognoscitor, defectus corrigitor. Dein altera, tertia, <sup>tarchias</sup>  
 quarta pentarchja similiter auditor & illi qui se subdixerint, <sup>distribu-</sup>  
 ordinemq̄ turbârint, bono modo castigantor. Hoc enim sine <sup>tio.</sup>  
 decimus Collega ante paucos annos adjunctus est, ut singuli  
 quotidie ter audiantur.

Non tantum Alphabetarij Orationem Dominicam & <sup>9.</sup>  
 cætera Catechismi capita, Germanicè primum deinde Latinè <sup>Lectio me-</sup>  
 legere discuntor: sed etiam ipsorum vocabulorum, quæ me- <sup>morie</sup>  
 moriæ mandabunt, litteras & Syllabas colligere, quiq̄: possunt <sup>mādanda.</sup>  
 ex pagella excusâ describere, advescuntor.

Profectiores in prima & secundâ Decuria collocandi, <sup>10.</sup>  
 quicunq̄: Catechismi capita Latino germanica legere didice- <sup>Lectio &</sup>  
 rint, Vocabula pleraq̄: substantiva ex his excerpta memoriæ <sup>memorie</sup>  
 mandaverint; Diebus Saturni hebdomadarium pensum, ali- <sup>mandata</sup>  
 quot Septimanis recitarint. Donatum Latino germanicum <sup>recitanda</sup>  
 & Formulas Sebaldi Heiden ad utriusq̄: linguæ expeditiorem <sup>aliaq̄: ju-</sup>  
 lecturam adjungant. <sup>genda.</sup>

A declinationibus autem & Conjugationibus Latino <sup>11.</sup>  
 germanicis legendis ordiuntor, quia facilius earundem crebra <sup>Initio fa-</sup>  
 Syllabarū & vocū repetitio leviter mutata, informat expedite <sup>cto à de-</sup>  
 legēdi artificium. Deinceps ab initio posita disci etiā possunt. <sup>clinatio-</sup>  
<sup>nibus &</sup>  
<sup>conjugati-</sup>  
<sup>onibus.</sup>

Catechismi Latino germanici à Luthero explicati por- <sup>12.</sup>  
 tiunculam & Evangeliorum similiter, diebus Sabbathi, peri- <sup>Catechis-</sup>  
 tior quispiam prælegito. Inde sententiam brevissimam <sup>mus & E-</sup>  
 Latino Germ: excerptam duosq̄: vocabula ex eadem sumpta <sup>vangelia</sup>  
 cum ipsa sententia ediscendam, Hypodidasculus pueris præ <sup>addantur</sup>  
 scribito, vel in libellis transverso calamo signato, <sup>sententiæ &</sup>  
<sup>vocabula</sup>  
<sup>ediscantur.</sup>

F

Ita





13. *Sabbato  
cū primis  
hyberno.* Ita Sabbato non minus in sacris quam cæteris diebus, in prophanis vocabulis elaborabunt, tempus in Schola non minus rectè hyberno semestri, imò duplo rectius, quam æstivo, si in templo essent, collocabunt.

14. *In Nonâ  
& Octavâ  
Vocabulato  
& senectute  
congrua  
augentur.* Nonæ & Octavæ Classis pueris terna vel quaterna vocabula, cum sacra Catechismi & Evangelii sententia præscribuntur & repetitione diligenti inculcantur: & quidem si res ita tenuerit, ut Catechismi sententia cum parte Evangelii consenti- at ut sæpe fit, hoc attenditor & ad κοινὴ Φέλειαν transfertor. Cum etiam trium Classium inferiorum pueri nihil ad-

15. *Trium in-  
feriorum  
Classium  
horis Sab-  
bati ve-  
spertinis  
informa-  
tio.* modum è sacra concione diebus Sabbati per ætatem discere possint: in templo strepitu aliis molesti sint, nec Musicam adjuvent, chorum putaminibus fructuum & siliquis respergant, volumus hos pueros deinceps cum suis Præceptoribus, ut hyberno sic etiam æstivo semestri, sacris ex Catechismo & Evangelio vocabulis & sententiis erudiri, & quæ didicerint, per hebdomadam, memoriter recitare, seq; invicem ita certatim in morem disputantium non absente sed præsentem Præceptorem examinare.

16. *Psalmodi  
recitatio  
& decan-  
satio.* Psalmos etiam quos memoriæ mandarint non recitare tantum, sed etiam decantare cum aliis Hymnis Germanicis, in Ecclesia usitatis, assuefunt:

17. *Feriarum  
& plaga  
rū immi-  
nutio per  
Præcepto-  
rum præ-  
sentiam.* Nolumus autem Psalmos Pueris complures injungi, quos absente Præceptore ediscant: quia sic plures feriæ docti suppetunt, discantibus verò propter petulantiam plures horæ postea vapulando sine fructu, non tamen sine ejulatu pereunt: sed quemlibet, ut supra dictum gnauiter & fideliter officio suo subernus incumbere: nec per ullam horam aut semihoram, pueros solos in Schola relinquere: nec uni soli, quod à tribus vel quatuor vix satis peragi potest, committere.

Scri-





Scriptum est enim: Maledictus qui facit opus Dn. fraudulenter. Item, Maledicta sit manus remissa: nec minus impium est, si Præceptor horam suæ prælectionis non obeat, quam si pastor Ecclesiæ dato campanâ concionis habendæ signo, & facris aliquot Hymnis decantatis, ipsemet emaneat, aliasq; res agat & expectationem auditorum eludat. Pars enim Ecclesiastici ministerii est Scholasticum munus. Sicut Samuel, Elias, Elisæus aliiq; Prophetæ conjunxerunt utrumq;

18.

*Ratio ur-*  
*gens à di-*  
*vinis ora-*  
*culis com-*  
*paratis*  
*connexio*  
*& exem-*  
*plis.*

## CAPVT X.

## DE LATINÆ LINGVÆ EXERCITATIONE IN SUPERIORIBUS CLASSIBUS.

**P**rodunt & perdunt maximos studiorum & laborum suorum fructus Scholastici; dum nullis comminationibus, nullâ penè satis accurata disciplina possunt adigi, ad Exercitium Romani sermonis. Quæcunq; aut scribuntur leges, aut irrogantur mulctæ aut constituuntur signa vel Notæ: vel contemnuntur vel eluduntur à compluribus.

1.

*Scholasti-*  
*corū ino-*  
*bedientia*  
*& negli-*  
*gentia quo-*  
*ad Lati-*  
*nismum.*

Cujus rei fons est quorundam perversitas impia, qui post habitis omnibus & Præceptorum & Scholarum monitis & increpationibus, irrident etiam illos, & omnibus fannis exagitant, quos audiunt Latinè loquendo se exercere: illisq; ostentationem, ac nescio quam jactantiam eruditionis audienti tribuere.

2.

*Origo est*  
*perversi-*  
*tatis irrisio-*  
*& exagi-*  
*tatio di-*  
*scipulorū.*

Hinc fit, ut multi non Latinæ solum sed & Græcæ orationis scribendæ facultatem aliquam adepti: in loquendo tamen aut sint muti magis quam pisces: aut saltem fœdè titubent ac passim impingant. Non enim ejusdem semper est, scribere & loqui posse: nec eodem labore utrumq; mox comparatur.

3.

*Effectus,*  
*scribendi*  
*facultas*  
*& aliqua,*  
*lo-*  
*quendi*





4. Testis Iosephus, Antiquitatum Judaicarum scriptor *Exempla* quidem luculentissimus; qui Græcè scripsit eleganter, loqui se *veterum.* potuisse negat. Testis Isoerates, qui orationes elucubratus elegantissimas: nullam perorare potuit: aliis ediscendas & recitandas omnes dedit.

5. *Non ob-* Esti verò magna diversitas ingeniorum est, vereq; di-  
*flante In-* stum: Quod natura negat, reddere nemo potest: sicuti mutum  
*geniorum* loqui, frustra, balbum aut blæsum expeditè loqui, vix ac ne  
*diversita-* vix quidem edoceas: tamen certum est, qui vernacula lingua  
*te scripti-* recte utitur, Latina scribendo duntaxat valet: illi præter eam,  
*oni loque-* quæ in Scholis assidue urgeri debebat, exercitationem, collo-  
*la adjun-* quendi, Disputandi, Declamitandi, nihil deesse.  
*genda.*

6. *Præcepto-* Ne igitur hac in parte discentes aut docentes officio suo,  
*res in La-* ne emolumentis & ornamentis certissimis desint: Præcepto-  
*tinismi* res in commendanda pueris & excolenda sermonis Latini fa-  
*culturâ* cultate omnem lapidem moventò: singula verba singulas  
*omnem* Phrases in Lectionibus obvias ad usum transferre docento:  
*lapidem* Latine cum pueris ipsi loquuntur: Latine Interroganto: Lati-  
*moveant.* nè respondere cogunto: verba certasq; formulas, alloquendi  
Præceptores aliosq; viros honoratos, præcuntò: Colloquio-  
rum & Disputationum ritu de propositis & cognitis materiis  
colloquentes intèr se crebrius committuntò: qui præclare  
fiterint, eos collaudantò; segniore corripuntò, alios præmi-  
is, alios poenis exstimulantò.

7. *Pædagogi* Pædagogi cum suæ fidei commissis pueris & domi La-  
*similiter.* tine sermocinantòr, & in plateis vocabula & sententias ante  
cognitas sæpius exiguntò: in aliam atq; aliam formam muta-  
tis casibus, numeris, modis, personis, transferre iubentò.

8. *Adhibitis* Terentianas scenas & colloquia quædam Erasmi noti-  
*autoribus* ora, ut: monitora Pædagogica, Herilia iussa, diluculum, di-  
*(& adminiculis debitis.)* sributis personis, crebrò repræsentare: in officinis Fabrorum,  
taber-





tabernis mercatorum, omniq; varietate utensilium domesti-  
corum, demonstrationes rerum, cum proprietate vocabulo-  
rum conjungunt.

Sæpius epistolas vel Orationes Ciceronis, versus expo-  
sitos Catonis, Ovidii, Tibulli, Maronis, memoriter recitanto, *Præter Te.*  
sæpius etiam Psalmorum Latinorum versus alternatim de-*re:ium &*  
cantanto: Primum lib. Æneidos Virgilianæ, Scholastici ali-*Erasmũ,*  
quot ejusdem privati Magistri opera utentes, repræsentanto, *Cicerone,*  
horas succivas isti rei nonnullas impendunt, ut alius Virgilii, *Catone,*  
alius Junonis, tertius Æoli, quartus Æneæ, quintus Neptuni *Ovidio,*  
personam sustineat. In Bucolicis similiter: alter Melibœi, alter *Tibullo,*  
Tityri, hic Corydonis, ille Thyrsidis subinde versus memo- *Virgilio,*  
riter expromito, Tertius Poëtæ ipsius (Virgilii) personam *Psalmis*  
sustinet. *quog; la-*  
*rinis.*

Quidquod infimarum Classium pueri hoc modo voca- *10.*  
bula memoriæ mandata, & Latino germanicas Formulas *Infimarũ*  
Sebaldinas, & colloquia nonnulla Erasmica & Corderiana, & pueri vo- *Classium*  
Lud: Vivis, sic tirocinii gratia, si non omnia memoriter, aliqua *pueri vo-*  
etiam ex libris recitare poterunt. *cabula,*  
*formulas,*  
*Colloquia*

Neq; hic obrui multitudine rerum ediscendarum inge- *recitens.*  
nia puerorum tenella: sed omnia veluti præmansum cibum à *11.*  
nutricibus suppeditari volumus: ut singula prius sint explicata *Itasmẽ,*  
& ad usum per Analysin Grammaticam præparata. Præstat *ne discẽ-*  
enim paucas sententias benè tractatas & subactas, & instar ce- *dis inge-*  
ræ mollitas, & usui accurata monstratiõne Præceptoris accom- *nia obru-*  
modatas tenere, quam ingentem numerum vocabulorum & *antur sed*  
sententiarum, quarum usum ignores, edidicisse; sed de his eti- *utilia se-*  
am sequente cap. XI, plura dicemus. *ligantur*  
*applicen-*  
*tur.*





DE COMOEDIIS ET  
TRAGOEDIIS.

1. **I**ncredibile dictu est, quantum facultas Latini sermonis augeatur & confirmetur, si crebrò agantur & memoriæ mandentur Comœdiæ. Itaq; in superioribus Classibus expediret, integras sæpè vel saltem dimidiatas agi Fabulas Terentii, vel Terentianas; vel etiam (ab adultioribus præsertim) Plautinas: & Tragoedias Senecæ, quæ sententiis gravissimis fertæ sunt. Irrepunt enim mirabiliter in animos puerorum verba, Phrasæ, Sententiæ res ipsæ: cum mutuis colloquiis gestibus & crebris actionibus, velut imaginibus, singula pinguntur & venustantur. Difficultas & tædium discendi, admirabili voluptate minuitur.

2. Et si verò quædam personæ primariæ plus videantur exigere laboris, quam ab uno præstari possit: tamen hoc obstare non poterit: cum binis aut ternis illa commodè possint distribui. Sæpè etiam in magno cœtu reperiantur, qui quamvis personam facile soli amore laudis allecti discant & tractent.

3. Ita complures vel etiam omnes Terentianæ Comœdiæ quolibet semestri spatio in superioribus Classibus sic agi possent, si Pentarchiis ternis aut quaternis singulæ distribuuntur. Obscura quæ incidunt vel voce Præceptoris, vel ipsa representatione vel crebra repetitione, etiam in non auditis sive declaratis fierent facilia. Idem in Frischlini, Macropedii, Schopperi, Comœdiis fieri potest.

4. Hinc publicè quodocunq; visum fuerit, selecta poterit exhiberi grandioris in pronuntiando apparatus gratia. Habet Scena in quidem non parum incommodi; quamobrem olim Synodicis censuris etiam notata est. Sed magnitudo utilitatis superat utilitas.

gra-





gravissimos quoq; Theologos, Lutherum, Philippum, Mör-  
linum, Chemnicium, & alios ad hujusmodi exercitia reti-  
nenda & collaudanda impulit, quorum autoritas, ut præclare  
de scholis meritorum, non temerè convellenda.

Volumus igitur & severè mandamus iis Præceptoribus  
qui Terentium vel selectas ex eo formulas pueris proponunt,  
ut quoties absoluta fuerit Scenæ vel Actus alicujus interpre-  
tatio Vernacula, & Etymologiæ & Syntaxeos Analysis, &  
Phrases ratioq; imitationis monstratæ: mox inter ceteros  
repetitionis labores qui præmitti debent, ediscenda distributis  
personis illa scena injungatur: dein bini, terni vel quaterni  
colloquentes audiantur: pronuntiatio tarda, clara & distincta,  
& verborum sententiæ gestibus respondens, exigatur: atq; ita  
juventus ad Latini sermonis usum familiarem ludibunda  
deducatur. Unde fructus proficientium uberrimus, labor verò  
non maximus sed potius jucunditate ipsa optatissimus brevi  
constabit.

Quod enim alias dicitur, viva vox magis afficit, & simile  
simili gaudet, hoc quoq; locum in istis vel præcipuum habet:  
ut puer puero, adolescens adolescenti, condiscipulus con-  
discipulo dulcissimè loquatur: & tali sermonis vicissitudine  
tam doceat symmyctas, quam ipse discat feliciter.

Qui hoc genus exercitiorum negligunt, nonnunquam  
aliquot annos Terentium & Ciceronem audiunt; nec tamen  
ad imitationem illorum excellentium autorum vel tria verba  
Latina facere noverunt. Ratio est, quod in Scholis negligitur,  
domi à Pædagogis aut non intelligitur aut non exigitur. Et  
ille ipse felicissimus Magister, Artifices solus qui facit, usus  
abeest.

Scribendi exercitiis omnia committi, omniaq; ab illis  
expectari nec possunt nec debent. Ut enim supra dictum  
est, non sufficiunt.

5.  
Absoluta  
scena vel  
Actus di-  
stribua-  
tur & me-  
morie  
mādetur.

6.  
Ratio im-  
pellens.

7.  
Negligen-  
tia effectus  
ejusq; ra-  
tio.

8.  
Scribendi  
exercitia  
non suffi-  
ciunt.





multa scribunt Latinè mediocriter, qui tamen loqui nec audient nec valent. Et ut ratio bene loquendi cum scribendo juncta sit, Auctore Fabio, tamen utrumq; non semper est conjunctum ut Isocratis, aliorumq; multorum exempla docent superius allegata.

9. Et felicitas ingeniorum rara, quæ nonnullis obtingit, non debet esse universalis in formandorum puerorum regula: sed tardioribus etiam pius Magister se accommodabit: memor illius quod dicitur, & in quorundam discentium indole observatur. Quo tardius eò constantius, Vinum & Olivum, ingeniorum tardissimi, sed tamen optimi (ait D. Ambrosius) fructus sunt.

10. Psalmorum quoq; & Proverbiorum Salomonis recitationes alternis versibus: Lectionum reliquarum alternis Periodis: Ut in examinibus & Catechesi fieri solet, his ipsis motibus Salomonis, & reliquorum, dum unius recitantis verba excipit & præstolatur alter. Et in universum amant alterna Camœnæ, ut ait Poëta, Multi pueri tam vagis ingeniis sunt, ut quod bis terve alii rogati sunt, vix tamen attendant, nisi & ipsi rogentur: iis saltem tali vicissitudine consulatur vel maximè.

11. Quin etiam vocabulorum & Phrasium in Classibus inferioribus cognitarum, memoriam alter ab altero statis horis, quibus vel pensum, vel Catechismus vel Psalmi recitantur, sic exiget, deq; usu Phrasium ex auditis prælectionibus & vocabulorum memoriæ mandatorum, examinabit.

12. In summa sicuti quidam dixit: Tantum scis, quantum operaris; Item: virtutis omnis laus in actione consistit: Ita quicquid prælectum, quicquid memoriæ mandatum fuerit, in bonorum Autorum libris, in Gram: Dial. Rhetoricis præceptis: nisi loquendo & scribendo ad usum transferatur, frustraneum & supervacaneum est. Fitq; inde ut, quod Poëta canit, Omne supervacuum pleno de pectore manet, Itaq;

No feliciū  
modo sed  
& tardio-  
rum ratio  
habenda  
ingeniorū

Psalmi,  
Prover-  
bia Salo-  
monis, &  
alio Le-  
ctiones  
per vices  
recitatur.

Sic puer  
puerum  
examinā-  
do exci-  
tabit.

Sine lo-  
quendi &  
scribendi  
usu omnia  
frustra-  
nea.





Itaq; legitimus temporibus D. Augustini tales alternas recitationes personarum Virgilianarum in Bucolicis Tityri & Melibœi, Dametæ & Menalcæ, in Æneide ipsius Poëtæ, Junonis, Æoli, Neptuni, Æneæ, Jovis, Veneris, usitatas & ab ipso etiam in scholis suis Oratoriis, quibus multos annos præfuit, fuisse frequentatas.

13.

*Recitationes alternæ tempore Augustini.*

Adultiores, quos noverca fors diutius apud nos detinet, quam vel ipsorum vel nostra ferret voluntas: ad alendâ Latini Græciq; sermonis expeditam facundiam, his ipsis quæ dicta sunt, consentanea ratione, vel ex veteri novoq; testamento insignes Periochas, Historias & Disputationes, Græcè vel Latinè mandatas memoriæ, clarè distincteq; recitent, ut est Historia Passionis Dn. Nostri Jesu Christi: Ut unus Evangelistæ alter Christi, Tertius Petri &c. personam memoriæ mandet: vel Resurrectionis, vel Ascensionis in coelos, vel Disputationis Christi cum Sadducæis de Resurrectione, Vel B. Stephani Protomartyris cum Synedrio ex Acto. 7.

14.

*Adultiorum ex sacris recitationes*

Vel ex profanis Tragœdiam aliquam Senecæ, Sophoclis, Euripidis, vel librum aliquem Homeri, privata opera lectum, dispertitis personis & operis inter se percurrent. Nam

15.

*Ex profanis.*

ὁμιλία τέχνας ἕτερας.

Vel etiam quæstiones Examinis Theologicas, Ethicas, Physicas, Sphæricas, privata lectione anticipabunt, & in difficilioribus locis præceptorem privatim consulent, ut ad Academiâs aliquando profecti, gustum aliquem istorum delibatum habeant.

19.

*Eorumdem privata lectiones.*

G

CA-





DE DISPUTATIONUM  
TIROCINIIS.

1.

*Exercitia  
Logica  
singulis  
septima-  
nis fre-  
quentan-  
da dieb.  
Mercurii.*

**L**ogicas exercitationes tam ad rectè discendam Dialecticam, quam ad Latini sermonis facultatem augendam confirmandamq; pernecessarias arbitramur. Itaq; sicut illæ in nostram Scholam feliciter introductæ sunt, ita illas studiosè singulis septimanis frequentari, præsertim diebus Mercurii, dum exercitia styli corriguntur, mandamus.

2.

*Thesium  
breuitas  
& nume-  
rus.*

Theses proponantur paucissimæ & brevissimæ, binæ vel ternæ tantum propositiones, ut formas & leges oppositionum & contradictionum tantò facilius perspiciant discen-tes: Probationes Syllogismis comprehensas singulis addant Respondentes.

3.

*Materia.*

Materia petatur ex Dialecticis Rhetoricisq; Præceptis, ex Ethicis & Theologicis materiis utilibus: ex Augustanæ Confess. Artic. Officiis Cic. additis quibusdam Grammaticis difficultatibus & problematis.

4.

*Prepara-  
tio ad  
Exercitia  
disputa-  
toria.*

Ut autem ad exercitia Disputationum Tirones præpara-ri rectius possint: quemadmodum de ratione faciendorum versuum dictum est, primū Adonicos Versus ex Virgilianis & Ovidianis excerpandos esse: Dein turbata unius duorum aut trium versuum vocabula præscribenda: quæ in ordinem Metricum ex Syntactico redigant: Ita præscribantur auditoribus Dialecticæ exempla ex prælectionibus sacris, deinde profanis Ciceronianis, Virgilianis, Terentianis colligenda. Nimirum, Definitiones, Divisiones earumq; Analyses in suas partes, genera, species, Individua, causas, effectus, propria & similia locorum, Categoremata; ut enim singula vocabula Gramma-ricè





ticè examinanda, & ad Præcepta Etymologiæ referenda: Singulæ Phrasès & connexiones vocabulorum ad Regulam aliquam Syntaxeos reducendæ: sic in Dialectica quævis quæstio ejusq; Argumentum, Declaratio, Probatio, ad locum aliquem inventionis à Tironibus referri, Ornamenta quoq; Rhetorica, Tropi, Figuræ sive Schemata, quibus Dialectica simplicitas exornari solet, ad sua præcepta revocari debent.

Singulæ Theses ita primum considerandæ, ut contrariæ, 5.  
 contradictoriæq; propositiones ante omnia formentur: ne *Thesum*  
 dici possit, objectione non oppugnari Thesin, aut non tangi *per syllo-*  
 scopum. Dein factò Syllogismo, indicandum, ex quo loco *gismos di-*  
 sumtum sit Argumentum sive Medius Terminus, cum con- *recta &*  
 tradictionis subjecto & prædicato dispositus. Hæc enim ad *formalis*  
 confirmationem valent. Deinde ad quam figuram, quemve *oppugna-*  
 illius modum congruat argumentatio: ubi propositionum *tio.*  
 quantitas & qualitas, interroganti exponenda.

Respondens objectionem bis repetat, quo præmeditatiùs 6.  
 respondeat: memoriam & pronunciationem expeditius for- *Objection-*  
 met, tum disertè quid vitii sit vel in Majore, vel in Minore, vel *nis repeti-*  
 in consequentia: quod genus paralogismi aut fallaciæ com- *tio & re-*  
 mittatur, indicet, ac regulas allegatas ad exemplum appositè *solutio.*  
 studeat accommodare. Hæc enim cura & Grammaticos, & *7.*  
 Dialecticos, & Oratores bonos vel maxime efficit. *Compã-*  
*ratio ne-*

Analysis vel sacrarum vel profanarum lectionum u- *cessitatis*  
 trum ista exercitatione magis sit necessaria, non dictu facile est. *hujus ex-*  
 Ut enim imitatio in omni genere artium accurata intentione *ercitii cū*  
 & contemplatione feliciter dirigitur: sic imprimis in hac gu- *Analysi.*  
 bernatrice mentis ac rationis Dialectica. *8.*

Insignes itaq; periochæ vel Evangeliorum Dominicalium *Periocha-*  
 vel Paulinarum Epistolarum vel Orationū Ciceronis, proponi *rū sacra-*  
 subinde debent, quarum partes ad locos Dialecticos & species *rū & pro-*  
 Argumentationis reducantur. *fanarum*





9. *Provecti-  
orum  
quo ad o-  
rationes  
& concio-  
nes infor-  
matio.* Provectioribus integræ Orationes, Conciones, integriq;  
libri proponendi & quomodo sæpè uno Syllogismo tota con-  
troverſia graviffima cõprehendatur, indicandum: unicæ pro-  
poſitioni vel Majori vel Minori, quatuor aut ſex folia ſæpius  
inſumantur, ut in Oratione Miloniana videre licet, ejusq;  
principali Syllogismo, qui eſt talis; Inſidiatorem ſceleratum  
occidere & vim vi repellere licet. Clodius homo ſceleratus  
& Miloni inſidiatus fuit, juſtè igitur occiſus eſt à Milone. In  
hujus propoſitionis Majoris probatione luculenter jus naturæ  
illuſtratur, quæ non ſcripta ſed nata lex dicitur, ad quam non  
docti ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus. Minor deinde  
nefariorum Clodii ſclerum enumeratione, quibus divina &  
humana jura publicè & privatim violârît, confirmatur & ex-  
politur.

## CAPVT XIII.

DE DECLAMATIONIBUS  
EARUMQUE TIROCINIIS.

1. *Progressus  
in Exer-  
citiis Rhe-  
toricis cõ-  
veniens* **U**T in Grammaticis à ſingulorum vocabulorum  
& Phraſium conſideratione examine, recitatione, exor-  
dimur: In Dialecticis: à ſingulorum Categoriematum,  
Syncategoriematum, argumentorum, Terminorum, Enuncia-  
torum, Syllogiſmorum, deſcriptione, diſcretionem, dijudicationem:  
Inde ad totius Diſputationis Methodicæ vel confirmationis  
vel refutationis ſtructuram & conſiderationem: Ita in  
Rhetoricis Exercitiis, à minimis ad majora, à ſimplicioribus  
ad compoſita, à faciliſſimis ad difficiliſſima, à partibus ad totam  
orationem progredi par eſt. Alioquin enim vel ſumma diffi-  
cultas laborum & ſtudiorum perplexitas vel deſperatio di-  
ſcentes ſubit, teſte Rom. Imperatore Juſtiniano.

Quod



Quod igitur illis qui nihil aliud quam ex Germanico scri-  
pto, totidem verbis Latinum reddere consueverunt, & præter  
auscultationem præceptorum Rhetoricæ, nihil admodum de  
progymnasmatibus Oratoriis degustarunt, mox integræ Decla-  
mationes scribendæ injunguntur: hoc opus nimis arduum &  
tironum humeris impar onus est.

Primum igitur aliquot exordiorum periodi ex Cicero-  
nianis Epistolis vel orationibus dispersæ ac dissolutæ propo-  
nantur, Oratoriis numeris & Rhythmis exornandæ, hyperbatis  
Isocolis, Epistrophis, similiter desinentium: Tropis ac Sche-  
matis verborum atq; sententiarum illuminandæ.

Nihil enim aliud potest sermonem vulgarem & Gram-  
maticum facere oratorium, quam usus Troporum & figura-  
rum, aptaq; ordinis Syntactici sive naturalis, in Artificialem  
mutatio, ut ait Cic. ad Brutum, quæ operosior quidem &  
affectatior in Carmine, accuratior tamen etiam in prosa, ab  
optimis autoribus adhibetur, quam credibile videatur impe-  
ritis.

Deinde Syllogismi illustres, vel Enthymemata cum suis  
probationibus & prosyllogismis & amplificationibus, excer-  
pantur ex officiis, orationibus, Epistolis, Ciceronis: in quibus  
addantur ornamenta Rhetorica, suis ubiq; præceptis accom-  
modata. Et primum quidem exordiorum exempla, quemad-  
modum vidimus magnum numerum exordiorum inter De-  
mosthenis Orationes, quæ præmeditatus ipse fuerat, ut mox  
in promptu ad quamvis causam habere possit. Dein Narratio-  
num, Propositionum, Partitionum, Confirmationum & Con-  
futationum, initio brevium, deinde prolixiorum.

Proponantur verò talia primum in optimis autoribus  
Virgilio, Cicero, Terentio, Exempla: quæ ad nuditatem &  
simplicitatem Dialecticam, omni orationis ornatu ceu veste





detracto, redigantur; Dein paradigmata consimilia ab Auditoribus formentur.

6. Ad iuſefaciendi ſunt igitur qui Rhetoricam audiunt, propoſitis brevibus diſpoſitionibus Latinis, loco Germanicorum ſcriptorum, ut quod oratorio more ſcribere velint, primo dialecticè diſpoſitum, & quam breviffimis quaſi punctis delineatum habeant: Argumenta ſeu probationes in conſpectu τὰ δὲ μίαν σύνοψιν collocent: deinde verborum lumina adhibeant. Ingens namq; diſcrimen eſt inter loquentiam & eloquentiam: aliud eſt loqui vulgariter & negligenter; aliud dicere prudenter & eleganter. Et Ariſtoteles initio Rhetoricorum ait. Rhetoricam ἀντιſτοφον Dialecticæ, non ſolum eo ſenſu, qui nonnullis placet, quòd circa eadem res verſetur: ſed quod veluti termini convertibiles ſeu correlativi (inter quos mutuum iter) ſint & eſſe debeant, arguta Dialecticorum brevitatis, & prolixior Rhetorum ubertas. Quamvis Rhetorica Enthymemata, noëmata, κρούσεις, διποσιπήσεις, ſæpè brevius etiam dicant, quam Dialecticæ propoſitiones vel Syllogiſmi.

7. Luculentum Progymnaſma pro Junioribus fuerit, ſi distribuantur inter diſcipulos aliquot breves orationes ex Progymnaſma juniorum. ex Virgilio & Ovidio. Virgilio, de numeris Poëticiſ, in oratoriam formam commutata, ubi unus Petitoriam Junonis ad Æolum; Alter Æoli Reſponſoriam; Tertius Æneæ lamentatoriam: Quartus Neptuni objurgatoriam, memoriæ mandatam recitet. Aut ſi duo Ajacis & Ulyſſis contrarias ex Metamorph. 13. carmine; alii duo ſoluta Paraphraſi tractatas recitent: Quintus Judicis perſonam ſuſtinens ſuffragia colligat Aſſeſſorum. Poſtremò quidam velut ſcabini ſententiam vel pro Ajace vel pro Ulyſſe dicat, tandem Rex Agamemnon Judicis deciſivam ſententiam ferre jubeat.

Aut





Aut ex Senecæ suasiōis, ut octo aut decem amici con- 8.  
siliū Ciceroni daturi, deliberant, utrum abolitis Philippicis, *Ex Seneca.*  
vitam potius ab Antonio redimat, aut constanter in sententiā  
permaneat, mortemq; fortiter, si vis afferatur oppetat: vel  
sponte sibi violentas manus, exemplo Catonis, afferat, vid.  
Erasmus lib. 2. de copiâ rerum.

Præterea si ex Dione, alius personam Ciceronis in An- 9.  
tonium dicentis, alius Fufii Caleni contradicentis & ad mode- *Ex Dione.*  
rationem ex hortantis, Tertius Planci aut Q. Fratris aut Attici  
in eandem sententiam in Curiâ perorantis personam sustineat:  
postremus Hircii Consulis iudicium interponat.

Huc adhibeantur contrariæ orationes Catonis & Oppii 10.  
de luxu vestium coercendo apud Livium. De Mauricio & Le- *Ex Li-*  
gione Thebana apud Eusebium &c. *vio &c.*

## CAPVT XIV.

DE RATIONE INTERPRE-  
TANDI LATINOS ET GRÆCOS AUTORES,  
ET AD USUM INTERPRETATA  
TRANSFERENDI.

**P**Ræceptor initio totam Periodum, clarè, tardè, <sup>1.</sup> *Periodus*  
distinctèq; ad finem usq; prælegito, siq; vitium Typo- *ritè pra-*  
graphicum incidat, vel in vocis depravatione, vel omisiã *legatur:*  
perversa; distinctione, corrigito: & sic Discipulis exemplo *Sphalma*  
distinctæ & sonoræ Læctionis præito. *corrigatur.*

Dein constructionis ordinem servato, non semper sin- <sup>2.</sup> *Cõstruelli-*  
gulas dictiones ad verbum sed potius binas vel ternas con- *one serva-*  
iunctim Germanicè, uti postulat consuetudo vernaculi ser- *ta d. Etio-*  
monis, exprimito, hujus enim Elegantia nullo pacto externa *nes Ger-*  
linguæ studio inquinari, sed potius exornari debet. *manicè ex-*  
*Voca. primatur.*



3. *Difficilio-  
ra decla-  
rentur.* Vocabula præsertim difficiliora peculiariter per Analy-  
fin separatim declarato.  
Etymologiæ & Syntaxeos Regulas monstrato, Phrasésq;  
similes diversis casibus, numeris, personis, temporibus, forma-
4. *Ety-molo-  
gia & Syn-  
taxis mô-  
stratur.* re doceto.  
De simili materia vel brevem sententiam, vel formam  
Dialogi Tironibus; Epistolii vel Oratiunculæ formam pro-  
vectioribus ad imitandum præscribito.
5. *Imitatio  
propria-  
tur.* Postremo colloquiis puerorum, Disputationibus, Con-  
certationibus, examinibus mutuis, memoriæ inculcito &  
velut in mediam praxin auditam Lectionem deducito.
6. *Ad pra-  
xin dedu-  
catur.* Si igitur sententia, vel pars aliqua Latini Catechismi, sive  
proverbium Salomonis, sive Catonis aliquod Distichon, sive  
Æsopi fabella (ut ab inferioribus exordiamur) proponenda sit:  
hic ordo servetur: ne scribendâ vel in charta, vel in tabulâ  
Præceptoribus absentibus, singularum vocum Analyfi tempus  
consumatur: unde sæpè nihil nisi multa dediscenda, foedamq;  
scarificationem & cacographian discunt, qui satis eleganter  
pingere norant: imo ad tumultus, rixas & verbera custode  
remoto nonnunquam deveniunt: sed voce Præceptoris sin-  
gula inculcentur, repetantur, colloquendo & scribendo ad  
usum transferantur.
8. *Jucundi-  
tas & uti-  
litas.* Nec tanti laboris est hæc exercenda Juventutis ratio:  
quantæ delectationis. Cum singulis horis fructum suarum  
operarum cernat Magister: & qualibet hora ad certi aliquid  
discendum singuli compellantur, quod rogati domi reddere  
possint. At verò talibus exercitiis intermissis, oleum & opera  
(quod est in proverbio) perditur: & diu discendo, nihil planè  
quod loquendo ad usum transferri possit, discitur.
9. *Quinta-  
norum  
Quar:anorum Exercitia.* Qui jam ulterius progressi fuerint, ut Quartani & Quintani,  
& binis è lectionibus, exercitia bina hebdomatim die Mercurii  
& Sa-





& Saturni exhibento, non tamen proluxa, sed brevia, de pia quadam & utili materia, quam memoriæ mandare & sicuti scripserunt, colloquendo expromere discant & gaudeant & facile queant.

Hoc si assidue frequentetur, & delectus rerum in quoti-  
diano sermone maxime necessariorum habeatur, & ab his  
ignota, rariora, difficiliora, separentur: formæ quotidianæ ex  
Terentio, Monitoriis Pædagogicis, aliisque Dialogis Erasmi,  
excerpantur & inculcentur, fieri non potest, quin lingua Latina  
brevi discantibus fiat familiaris. Nam recens propositas  
formulas domum & in quotidiana colloquia deducant & ma-  
gnam copiam semestri, majorem anno cumulabunt, & in  
Diaria seu libellos Exercitiorum coacervabunt, inde memo-  
riam sæpè jussu Præceptoris refricabunt, si quid ut fieri solet,  
obliviscantur.

In superioribus Classibus, non quidem immorari Gram-  
maticis minutiis est necesse: sed tamen formulas & Phrasas  
imitatione dignas & difficultates Grammaticas & Ornamenta  
Troporum & figurarum indicari oportet, tam in Oratorum  
quam Pœtarum scriptis; alioquin per aliquot annos audiunt  
Epistolas, Officia, Orationes Ciceronis: audiunt Virgilium,  
Ovidium, sed nullum in prosa Ciceronianæ; nullum in Car-  
mine Virgilianæ Imitationis apparet vestigium.

Huic malo sic quoque occurrere posse putamus, si in Tertiam  
Classem & secundam, lectio libri de copia verborum & rerum,  
qui ex Grammat. Dial. Rhet. faciliora decerpit, ad variandam  
& ornandam sive prosam sive ligatam Orationem maxime  
necessaria, introducatur, præsertim cum superioribus annis hic  
liber etiam sit propositus.

Quo enim cum fructu carminis compositionem medi-  
tabuntur, qui nullam de Synonymiis, æquipollentiis, Tropis,

H

nu-





numerofis ftructuris, audiunt commonefactionem? quomodo Bucolica & Ciceronem audient; ubi finguli verfus copia verborum & rerum & omnigenis flosculis funt infignes: fi notas has ad imitationem neceffarias non adjungant? Nam quæ inferiores fole ufu ex parte delibârunt, eorum rationes dicere hi deinceps, ut fupra de aliis dictum eft, cogentur.

14. *A pietate  
initium.* In Græcis difcendis, perinde, ut fupra de Latinis dictum eft, faufti omnis gratia, potiffimum à doctrinâ finceræ Pietatis ordiri, confultum videtur, adeoq; mox unâ, vel alternatim, cum præceptis Grammaticæ Clenardi, Catechefin Græcam, & breves Dominicalium Evangeliorum fententias inculcare, facrosq; potius Chrifti & Apoftolorum, quam profanos & Lucianicos, Dæmoniorum gentilium Dialogos audire, ut manè & vefperi, ante & poft cibum, verbis Spiritus Sancti cum Deo colloqui affuefcant, & affiduè repetendo memoriæ infigant. Nam sæpè recordari medicamine fortius omni. Affiduè verò quod fæcra potius quam profana funt animo volvenda: piis extra controverfiam eft.

15. *Græce (ut  
Hebræe)  
Linguae  
sanctificas  
& cultu-  
ra.* Ut autem Lingua Hebraica propter Vetus, ita Græca propter novum Teftamentum & habetur meritò & vocatur fæcra & in fæcros ufus ftatim à primis Elementis convertitur. Profanitatibus abunde fuo tempore etiam nolentibus occurrerit. Singulis itaq; declinationum cafibus, & conjugationum perfonis ac temporibus, fæcra ex Catechifmo & Evangeliiis fententiæ, duarum aut trium vocum exempli gratia fubjiciantur & in libro monftrentur.

16. *Catechif-  
mi & Pe-  
rioche E-  
vangelica  
tractatio.* Similiter etiam ex Catechifmo vel Evangelii Dominicalis Periocha, breves fententiæ quædam excerptæ, poft Anaflyfin Declinationum & Conjugationum in iis monftratam, diverfis cafibus numeris, perfonis, modis & Temporibus ex Latino in Græcum, voce Præceptoris, præeunte, transferantur:  
tum





tum ad Declinationum & Conjugationum Praxin & exercitationem, tum ad Græcè colloquendi rationem adjuvandam nec totæ paginæ in græcis Conjugationibus sine ullius vocabuli expositione, sine exemplorum appositione percurantur.

Mox eadem vel in Tabula vel in Charta describantur à <sup>17.</sup> singulis, ad Orthographiam Etymologicè saltem observandam, <sup>Ortho-</sup> in accentibus, Spiritibus, Diphthongis, & vocalibus ejusdem <sup>graphia</sup> soni: imo singulis casibus, temporibus & personis verborum <sup>Etymolo-</sup> conveniens vocabulum addatur, ad usum ejus ostendendum. <sup>gicè obser-</sup> unde plus anni quam alias biennii spacio, tum ad intelligen- <sup>vanda &</sup> tiam, tum ad facultatem quandam Græcè colloquendi, addi- <sup>Analysi</sup> scunt: iners est enim Analysis, sine Genesi Colloquiorum ac <sup>Genesis</sup> scriptorum. Ac turpè profectò, juvenes multos annos in Græ- <sup>jungenda.</sup> cis autoribus legendis & audiendis versatos, non cum aliquo Græco, tria saltem verba commutare vivasq; audire & reddere voces posse.

Et quoniam Tertiani provectiores mediocriter Latini <sup>18.</sup> nos versus scribunt, Novitij vero confusas voces in nume- <sup>Versus</sup> rosam compositionem redigere solent, volumus eos qui jam <sup>Græci ela-</sup> ulterius progressi sunt, in Græcis si non Tertianos, saltem <sup>berandi,</sup> Secundanos, Græcas Catechismi vel Evangelii Dominicalis sententias, transpositis nonnihil vocibus & Synonymis temporibus substitutis in versum transponere. Quales multæ offeruntur gnomæ, levi mutatione in Carmen vel Jambicum vel Hexametrum vel Pentametrum transformandæ.

Cum enim longè facilius Græci quam Latini Carminis <sup>19.</sup> addiscatur compositio: propter discrimen inter longas & <sup>Ratio à</sup> breves vocales multò conspectius: gratulabuntur discentes <sup>facili &</sup> suis studiis tanto magis & delectatione scribendi provehentur <sup>jucundo.</sup> alacrius.

H2

CA.





## DE GRÆCÆ LINGUÆ EXERCITIIS.

**C**um prima post studia veræ pietatis cura debeat esse Latinæ linguæ docendæ & exercendæ: secunda verò Græcæ: ut in ordine Lectionum traditum est: operæ precium fuerit, etiam de Sancta lingua Græca (ut D. Lutherus eam nominare non dubitat) aliquid præcipere, præsertim cum eousq; multos per Dei gratiam in Schola nostra progressos videamus, ut Græcos versus, Græcam Orationem vel Epistolam, non solum tolerabiliter sine solœcismis sed etiam eleganter ad veterum imitationem scribant.

**1.** Iis igitur primæ Classis Auditoribus, qui præter usitatas  
*Proveli.* Lektionen, sublimius aliquid paulatim requirunt, nec ad Aca-  
*orum gy-* demias statim conferre se possunt: Privatim vel Rector vel  
*monas-* Prorektor vel Tertius Magister, insignem interdum locum  
*sa.* proponent ex Oratore vel Poëta quopiam, Isocrate nimirum, Demosthene, Hesiodo, Homero, Pindaro, Sophocle, Euripide vel aliis in Latinum sermonem suo Marte transferendum, vel soluta vel ligata oratione: Ut periculum faciant virium suarum, & sine cortice natate discant & Iudicii formatorem habere possunt, audiant.

**2.** Deinde locos ejusmodi Poëtice tractatos, poëticiis phra-  
*Locorum* sibus & luminibus verborum & sententiarum exornatos, ver-  
*expressio.* bis & compositione Oratoribus usitata exprimere jubebit: sicut enim in Latina, sic & in Græca Lingua exercitium hoc est utilissimum.

**3.** Autorum optimorum in Lingua Latina Græcas Meta-  
*Autores* phrasas privato studio cognoscendas commendabit. Qualis est  
*profani.* Theodori Gazæ translatio Dialogi Ciceronis de senectute in

I. Græ-





L. Græca & somnij Scipionis & Phanudis Distichorum Caronis & Nonni Poëta in Evangelium S. Johannis Heroico Carmine Græco pulcherrimè reddita *μετάφρασις* vel saltem certæ & illustres Pericopæ ex hisce autoribus excerptæ, nunquam cum Archetypo conferendæ. Qualis insignis ille de animæ immortalitate locus ex Platone.

Ex novo etiam Testamento Gnomæ illustres excerptantur, & diversæ translationes, veterum & recentium Lat. & Græc. interpretum considerentur & quid quisq; secutus sit quid in Grammatica Græca & fonte sacri sermonis propriè solideq; fundatum sit, inquiretur. Hæc enim assuefactio juventutis acuet postea diligentiam virilis & senilis ætatis, in ponderanda sacro sancti Idiomatis tam Græci quam Hebraici, imò Latini & Germanici proprietate.

Et quidem hic fructus Græcæ linguæ non solum in novo Testamento sed etiam in LXX. Interpretum translatione veteris testamenti est uberrimus. Cum Evangelistæ & Apostoli in novo Testamento frequenter Græcorum Interpretum verba citent. Licet etiam non rarò Hebraicam veritatem & Targum seu Chaldaicam Paraphrasin sequantur.

Quod si nonnullis hæc sublimiora videantur, quam quæ discipulis in Triviali, ut vocant, schola conveniant, cogitet non pueris solis ista præscribi, sed iis etiam qui, ex ephebis jam excesserunt & tenuitate rei familiaris, & Hospitum liberalitate diutius interdum apud nos quam aut ipsimet aut nos vellemus, hæere coguntur; Dein etiam quod nulla ætas immatura sit solidæ pietati addiscendæ. Cum legamus S. Romanum, Vigilium Martyrem, Episcopum Tridentium, S. Agnetam, Dorotheam & alios utriusq; sexus Martyres, in ætate prope modum puerili, tanto robore fidei divinitus illustratos ut vitam pro fide Christiana cum sanguine profundere non





dubitarint. Quid igitur vetat ex ipsis S. Spiritus Oraculis, & fontibus Græcæ & Hebrææ linguæ, nostræ scholæ alumnis ea instillare, quibus deinceps in Academiis plura superstruere & velut Ariadnes filium, rudimenta juvenilis ætatis sequi possint.

7. *Ratio à comparatis.* Multo enim laudabilius fructuosius & sanctius est, addo etiam ad Græcæ linguæ solidam cognitionem parandam accommodatius, quam in fabellis Poëtarum, vel aliis ineptiis Ethnicorum scriptorum florem juventutis consumere: serò tandem vel in Academiis vel cæteroquin in publico docendi munere versantem hæc primum attingere. Cum nihil aliud sit solidam Theologiæ cognitionem sibi parare, quam Spiritus Sancti & Matris Ecclesiæ sermonem in Oraculis coelestibus rectè intelligere & aliis ex sanctarum linguarum fundamentis demonstrare posse.

8. *à simili & auctori- tate.* Quemadmodum enim D. Hieronymus ad Suniam & Fretelam Nobiles Germanorum sive Principes sive (ut Aventinus sensit) Episcopos, scribens, & ad eorum interrogata de diversis mireq; interdum variantibus Psalterii Davidici translationibus integro libro respondens, laudat, quod Barbara Getarum lingua, Hebraicam quarat veritatem & dormientibus imò contendentibus Græcis, ipsa Germania Spiritus Sancti Oracula scrutetur: Quemadmodum ibidem tales delicias spirituales omnibus Mundi voluptatibus & pompis anteposit: ita meritò pia mens in Domino lætatur, cum in fontibus Græci etiam sermonis cernit incorruptæ nostræ fidei firmamenta. Ut exempli gratia de exclusivis *εαν μη* Gal. 2. Joh. 14. 15. Apoc. 22. de verbo *διηκείσθαι* Esaiæ 5. Proverb. 22. De Justitia imputativa, de pœnitentiâ, Ascensu Christi in cœlos; De Exorcismo, de Mysteriis, de signis,

9. *Cœclusio.* Hæc igitur & similia studiosis sacræ Theologiæ candidatis instillari possunt & ingenti cum fructu ab illis considerari  
cecu





ceu præludia & exordia graviorum hujus generis studiorum in  
Academiis tractandorum, donec ad illas quandoq; possunt  
eluctari.

## CAPVT XVI.

DE PAUPERUM ET CUR-  
RENDARIORUM OFFICIIS.

**E**T si pauperes in Aristotelis Politiâ locum non  
habent, nec inter membra, seu ordines Civitatis benè  
constitutæ, à Philosophis recensentur. Tamen cum scri-  
ptum sit, Pauperes Evangelizantur: Et S. Paulus hac lege sibi &  
Barnabæ ab Apostolis dextras societatis datas scribat Gal. 2. ut  
pauperum inter gentes memores essent: Cumq; filius Dei  
nostrâ causâ pauper sit factus: ut nos ejus inopia ditaremur 2.  
Cor. 8. merito etiam in Schola nostra, quam Christianæ pieta-  
tis officinam esse volumus, pauperum erit habēda ratio Quip-  
pe quorum è numero præstantes aliquot viros & in nostra  
Republ. & in vicinis ortos non ignoramus, ut habet promissio  
Psal. 113 1. Sam. 2. Deus de pulvere suscitavit inopem, & de ster-  
core erigit pauperem: ut collocet eum cum principibus po-  
puli sui, ad occupandum solium gloriæ.

Cum igitur nostro loco, sicut pios Magistratus decet, ve-  
tere more institutoq; majorum, Pauperibus æquè & ditiori-  
bus consulere decreverimus: nec cives egestate deterreri à  
rectâ liberorum institutione (quod pro dolor nimis sæpè fit)  
velimus: Non tantum Reçtori, Magistris & Hypodidasçalis:  
sed Pastoribus Ecclesiarum & Diaconis, adeoq; ditioribus ci-  
vibus universis ac singulis tenuioris fortunæ Scholasticos, præ-  
sertim eos, in quibus singularis elucet indoles, commendatos  
esse volumus, ut illi commendando & deprecando, hi patrocini-  
ando & fovendo, hospitiâq; liberaliter præbendo, liberalibus  
inge-

i.  
Ratione  
officii cõ-  
mēdatio.





ingeniis, quo facilius emergere possint, adminiculo sint; Humaniq; generis societatem (in qua dives & pauper sibi obviantes, Deum utrobiq; creatorem revereri tenentur) hac in parte tuendam sibi ducant.

2. *Pauperū officium & grati sudo.* Qui verò beneficentia locupletiorum sustentantur, ii vera pietate, modestia, ministeriorum promptitudine & omnigenæ virtutis studio, se patrocínio favoreq; hospitem & benefactorum dignos exhibent: non tam ipsius gratitudinis quæ mater omnium virtutum est, pulchritudine ac dignitate adducti, quam mandati divini severitate, & propria necessitate impulsii; nam ut scriptum est. Prov. 17. Non recedet malum à domo ingrati. Et qui maleficio contristat hospitem munificum, & sibi & multis egenis commune veluti patrimonium alienæ liberalitatis perdit ac prodit. Nam præclarè Mantuanus:

*Nil magis avertit calum à telluris amore*

*Quam scelus ingrata mentis, qua corde maligno*

*Muneris autorem nullo dignatur honore.*

3. *Puerorū commissorum cura & informatio.* Civium liberos fidei suæ creditos in ludum ducendos ac reducendos non minus fideliter domi erudiant quam ipsimet à Præceptoribus erudiri cupiant. Non solum hac ratione officio suo conscientiaq; satisfaciendes: sed etiam benedictionem caelestem profideli labore præstolantes. Qui enim alterum docet, semetipsum instruit, & qui liberaliter seminat, liberalem messem percipiet.

4. *Symphoniarum studia.* Qui sacris Hymnis vicatim decantandis piorum civium benignitate aluntur: singulari studio pietatis & modestiæ suum ordinem decorare nituntur: nihil dubitantes, quin Deo, sanctisq; angelis & religiosis Civibus, omnium dulcissima sit Harmonia, canentium modestia, reverentia, pietas erga Deum & homines: respondens sanctis Psalmorum Ecclesiasticorum Melodiis. Qui concentis non minus est efficax auditorum pecto-





pectoribus ad sublevandas inopes Musas permovendis, quam Amphionis in Arcteo Aracyntho cantus, ad saxa trahenda sono testudinis & prece blanda quocunq; vellei ducenda coagmentandaq; in Thebanæ urbis muros. Cum enim tanta sit *Ratio, vis virtutis, ut in hostibus illam quoq; diligamus, teste Cicero-* ne: quanto magis ejusdem urbis cives & inquilinos: ejusdem religionis fidei veri q; Dei cultores, demerendos & ad misericordiam flectendos, veræ pietatis studio putabimus?

Inprimis ergò severè petulantiam in processionibus *5.* Currendariorum, ut vocant, prohibemus. Duces, Pyxiferos & Currendariorum observatores alios notare, & ad Rectorem atq; Præceptores nomina illorum qui Barbaris & protervis moribus se, totumq; coetum dedecorant, deferre jubemus. *gubernatio & correptione.* Qui vero nec correptionibus nec severis castigationibus corrigi se patiuntur: eos removeri potius, quam ad cæterorum corruptelam Scholæq; totius infamiam diutius retineri præcipimus.

Qualis ordo in distribuendis panibus & nummis illis, *6.* quos liberaliter cives nostri ad alendos egentes Scholasticos contribuere quotidie consueverunt, servari debeat: ut singuli Magistri, Cantores, Hypodidascali, in eo legibus obtemperent: alternisq; curis tolerabiliores istas extra ordinarias molestias, Pauperum nomine sustinendas, sibi reddant: cum alibi *per Præceptores.* prolixè traditum sit, hic non addemus.

Illud duntaxat Colophonis instar adjiciendum: Quia *7.* proportione Geometrica sic distribuuntur Eleemosynæ fideli- *Distribu- tionis propor- tio.* tium, tam majoribus quam minoribus, ut qui mediocritate contenti sint, ostiatim victum quærere, vel indecoram mendicitatem sectari non cogantur: sed inter decantandum religiosos hymnos, civium oblationes iis ultrò conferantur: Aut ex locupletum testamentis, aut etiam ex ararii nostri rationibus inopia multorū subveniatur: Ideò nolumus eos, qui Scholam





frequentant, vicatim oberrando, mēdicandoq; tempus terere, moreq; agyrtatum pravis moribus adfuescere: Sed suo quenq; de menso contentum, bonas horas & publicè & privatim rectè collocare, sedulitate discendi, preces frequentandi, reverentiam honoratis exhibendi, modestiam omnemq; virtutem studiosè colendi, Deo & hominibus operam suam probare.

8. *Ratio ab auctoritate divina* Quod enim lex divina præcipit, Deut. 15. Non sit Mendicus in Iisrael, sed aperies manum fratri pauperi; id hac saltem in parte Civium & inquilinorum nostræ urbis servari volumus.

9. *Fruventi matura coëctio.* Qualis ineunda sit ratio, ut tempore vilitatis annonæ coëctatur frumentum, unde majores panes, quam enormetum præsentis fori precium ferat, à pistore Scholæ confici possint: supra de Scholarcharum officio Cap. I. dictum.

## CAPVT XVII.

DE SCHOLÆ INQUILINIS  
SYMPHONIACIS ET EORUM  
CONTUBERNIO.

1. *Symphoniacorum officia in genere.* Quæ de pauperum & Currendariorum moribus & officiis dicta sunt: eorum inprimis illi quoq; qui habitationibus in Scholæ conclavibus & lectisterniis fruuntur, & in usum Symphoniæ extemporalis, munificentia primariorum aliquot Civium aluntur, memores sunt: rectissimis atq; optimis studiis, modestiæ, pietatis, sobrietatis, omniumq; virtutum, plures Mœcenates ad consimilia beneficentiæ opera demereri & invitare studento.

2. *Erga Rectores Scholarchas & discipulos.* Inprimis modestiam & obedientiam suam Rectori & Scholarchis secundum leges præscriptas approbanto: in Schola cum Condiscipulis non rixantor, manus non conferunt, multò minus facies aliorum plagis deformant. In



In nuptiis vel aliis conviviis honoratorum, si Musica sit exhibenda: non nisi Rectoris permisso illuc eunto: Quæcunq; <sup>3.</sup> *In nuptiis*  
 Musicis donata fuerint honoraria, boni consulunt; cum gratiarum actione data capiunt. <sup>ii.</sup>

Mensæ adhibiti, ebrietatem summo studio ceu pestem vitant: dedecorantem dulcissimas Aonidum voces, totiq; <sup>4.</sup> *In conviviis*  
 Scholæ maculas aspergentem. <sup>viii.</sup>

In multam noctem inter temulentos convivas non hærento, sed tempestivè post Eucharisticos Hymnos decantatos discedunt, ne sint inter <sup>5.</sup> *Discessus a conviviis*  
 hærentes, ut Siracides cap. 39. loquitur. <sup>viii.</sup>

Insalutato Rectore & Præceptoribus ad alias Scholas hinc abiturum ne moliantur, sed publica prius Oratiuncula gratias <sup>6.</sup> *Ex Scholâ*  
 Præceptoribus aliisq; benefactoribus agunt, & universæ civilitati rei; litterariæ piis votis divinam tutelam ac benedictionem precantur.

## CAPVT XVIII.

DE PUBLICI MINISTRI, SIVE  
CALEFACTORIS OFFICIO.

**M**inister publicus, quem Calefactorem vocant, sit pietatis, honestatis & sobrietatis studiosus: <sup>1.</sup> *Virescentes sectanda vitia fugienda.*  
 non institor aut venalitiis vini sulphurati: vel popæ cupediarius, qui docentibus & discipulis scandalo aut incipiente <sup>sectanda vitia fugienda.</sup>  
 tamento sit ad pocula sectanda, cum docendi provincia est obtinenda.

Præsto semper sit Rectori, si quis Collegarum in puncto non adsit, ut ad illum ablegari possit, aut ad parentes hospitesve <sup>2.</sup> *Ratione Rectoris.*  
 absentium amandari.

Valvas Scholæ justo tempore semper claudat & aperiat: <sup>3.</sup> *Valvarum In Schola.*  
 non tota nocte vel ad conticinium usq; patere sinat.





4. *Area & fenestrarum.* In Cœmiterio seu areâ Scholæ stantes vel discursitantes, vel fenestras vitreas Scholæ violantes, sive scholasticos sive Laicos pueros, scutica fugato:

5. *Auditorum & fornacum.* Auditoria tempestivè hybernis mensibus calefacito: si fornaces fractæ sint, tempestivè reparari curato: ejusq; rei gratia Magistratum adito.

6. *Prestii triumviris.* Pro labore à singulis quolibet quadrante Scholasticis precium justum quod constitutum est, accipito, eoq; contentus esto.

## CAPVT XIX.

## DE PÆDAGOGORUM

## OFFICIIS.

1. *Adventus & requisita.* Qui civium aut peregrinorum liberos in scholam deducunt ac reducant: partem officii Magistrorum sustinent: ideoq; inprimis eruditionem, fidem & industriam suam Rectori probant: nec peregrè advenientes sine Testimoniis admittuntur.

2. *In auditorio & quo ad pueros.* Publicè audita, privatim diligenter cum suis repetunt: summaq; fide commissos sibi pueros erudiunt.

3. *Hospites.* Apud hospites suos pietatis, modestiæ, industriæ, sedulitatis laudem reportare, suaq; virtute & innocentia ordinem scholasticum honestare, bonoq; exemplo suis discipulis præire, totis viribus studento.

4. *Cum discipulis colloquio Latina.* Latinè cum discipulis & domi & in plateis semper loquuntur. Nam ut ait Poëta: à boye majori discit arare minor. Nec sic inflectere sensus humanos edicta valent ut vita regentum.

5. *Diligentiaribus & scandalorum fuga.* Summam itaq; diligentiam adhibent, ne perversis modis & ignavia discipulos deteriores reddant, vel civium animos à beneficentia erga scholam & semetipsos alienent.

Si





Si quid expediundum fuerit pro re nata, domi, vel in messe vindemiave ruri: non se difficiles præbent, sed *Oeconomici labores.* & illud Poëta: <sup>6.</sup>  
Amant alterna Camœnæ, cogitanto.

Nam etiam si rectè dictum à Siracide c. 39. qui discet <sup>7.</sup> sacras litteras, illi concedendum esse liberale otium: nec festiva Ratio ab adhibendum qui Scholæ dicatus est; tamen & Hospitum voluntati & proprii corporis sanitati, cui motus externus etiam necessarius est, & fortunæ tenuitati, temporumq; difficultati quadam condonanda. Legimus enim celebres Philosophos olim, ut sumtus diurnis studiis suppeditare possent, noctu puteos ex hausisse: Ac Ciceronem, Julium Cæsarem, Brutum, Cassium, viros doctissimos, inter gravissimos labores gubernationis: inter dura militiæ rudimenta & mortis pericula, non tamen Exercitia scribendi & dicendi intermisisse: sed corporum animorumq; exercitamenta semper conjunxisse. De piis quibusdam nostri seculi Principibus constat, eos inter assiduas curas & occupationes Ducales, tamen Latinam linguam sic, ut loqui & intelligere eam possent, addidicisse. Cum verò hospites cum liberis, ejusmodi labores domesticos & rusticos flagitante necessitate, non detrectent, indecorum esset si alumnus eosdem recusaret.

In erudiendis privatim civium liberis maximam adhibento diligentiam, in publicis lectionibus & exercitiis repetendis & urgendis. Nam etsi plausibilis videtur, alia vel sublimiora, magisve gloriosa proponere, tamen hoc sæpè cum duplici jactura studiorum fieri deprehenditur. <sup>8.</sup> *Publica repetenda aliena & sublimia omittenda.*

Primo namq; sic quæ publicè proponuntur, negligunt & inutilia pene reddunt: deinde terrella ingenia diversitate & multitudine rerum obruant: itaq; citius eos studia odisse, quam quid sint, nosse, videmus. *Ratio duplex.*





9. *Exceptio  
feriarū.* Quod si tamen publicæ lectiones vel ordinariis feriis, vel alias intermittantur: omninò privatim aliquid utile proponant: ne tempus utrobiq; pereat.

10. *Parentū  
dehorta-  
tio.* Quia verò parentes præcoci suorum liberorum profectum nonnunquam impensè gaudēt & urgeri supra modum eos per imprudentiam volunt: Modestè iis ratio, & ex legibus scholasticis, & ex re ipsa reddatur: cur non tam expediat extra modum festinando prodire, quam maturando, profectui solito pueros servire; canis enim festinans cæcos parit catulos, ut Græcorum habet proverbium.

11. *Reſtoris  
implora-  
tio.* Si tamen usu venerit (sicuti non rarò solet) ut puer ea celerius arripiat (quæ ratio Classis suæ postulat) quam examinis tempus appropinquet: Reſtori hoc significator: qui quem idoneum deprehendet, etiam ante tempus ad superiorem locum evehere, vel etiam proximum (ut factum sæpè meminimus) transilire potest.

12. *Ratio ex-  
tra ordi-  
nariorū.* Ut enim rectè dictum, salus populi suprema lex esto: sic profectus singulorum felix & quam celerrimus, suprema lex esto Reipub. litterariæ. Nec interest quam diu quis hanc vel illam Classẽm occupet aut occuparit, modo didicerit quæ discenda fuerint: nec est necessarium in omnibus Classibus vel annum vel sesquiannum hæsisse: sed illa quæ scire oportet, didicisse: quòd celerius hi, tardius illi consequuntur.

13. *Occulto-  
rum iudi-  
catio.* Cum etiam fieri possit, ut quædam fugiant in examine Reſtoris & Præceptoris Classici, & Scholarcharum censuram: pædagogi vel etiam ipsius discipuli fuerit rationes ad Reſtorem vel scripta vel viva voce referre, cur vel diutius detineri vel ad superiorem Classẽm transferri petat; non enim inhonestū sed generosæ mentis est indicium ad altiora festinare.

14. *Ratio à  
damno.* Multos enim blandiente inertia videmus in eadem Classe biennium vel triennium imò quadriennium defedis-  
mul-



multos ex impatientia moræ promotionis, studiorum odium concepisſe, illisq; penitus repudium nunciaviſſe. Quibus incommodis ut & omnibus conſimilibus obviam ire vel maxime cuperemus.

## CAPVT XX.

## DE CIVIUM OFFICIIS ERGA SCHOLASTICOS.

**T**Ametſi non eſt obſcura multorum civium erga Scholam noſtram liberalitas & beneficentia: nec de ceteris dubitandum videtur, quin & Miniſtrorum Evangelii hortatu, & inſitæ pietatis inſtinctu, ſtudioſæ juventuti pro virium facultate, quas cuiq; Deus Opt. Max. elargitus eſt, benefacturi & honeſtiſſimos conatus labore ſuo promoturi ſint, tamen noſtram quoq; vocem officii ratione, adjungendam omninò putavimus.

Primum igitur ſeverè prohibemus, ne quis Civium aut inquilinorum liberos ſuos, diſciplinæ jam aptos, in plateis otioſos oberrare, nequitiam & pravitatem omnis generis imbibere ſinat. Sed aut in Scholam miſſos Præceptoribus commendet, aut ad opificium aliquod honeſtum adhibeat. Otia namq; dant vitia. Nec Reip. deterior peſtis eſſe poteſt, quam malè morata juvenus: quæ corruptelas ineuntis ætatis veluti ſentinam vitiorum, paulò poſt in Curiam, Eccleſiam, & totam civitatem infundit.

Quibus eas facultates Deus Opt. Max. elargitus eſt, ut liberis alere privatorum ſtudiorum moderatorem quoq; poſſint: Illi ſui muneris eſſe meminerint, non tantum ſuis hac in re proſpicere: quo publicorum Magiſtrorum operæ tantò ſint ipsis fruictuoſiores: Verum etiam ſacros congreſſus in Templis religioſasq; ceremonias hoc eodem impendio ſibi

CO.





cohonestandas: & tenuioris fortunæ adoleſcentes ordinario quodam beneficentiæ patrimonio ſublevandos, quorum ſuo tempore neceſſarius & honeſtus locus in Eccleſia vel Schola vel Politia fuerit.

*Ratio.*

Quam multos enim in hac Repub. Cives egregios poſſemus commemorare, quibus non aliunde quam ex tali hoſpitalitate piorum civium occaſiones & adjumenta emergendi ſuppeditata fuere.

3.  
*Erratorū  
indicatio.*

Si quid in Schola dignum querela vel animadverſione factum ſit, ut ſunt humana variis infirmitatibus obnoxia: non propterea totum ordinem docentium aut diſcentium, exagitant: multo minus filios à Muſis publicis abſtrahunt, novasq; vel extra ordinarias in angulis & gurguſtiis ſcholas, in contumeliam publicæ dedicant: quo vanis pollicitationibus quicumq; potuerint, allecuntur. Sed potius erratum, quod aliunde ortum ſit, ordinariis Scholarchis corrigendum indicetur: & ſi neceſſe ſit, ad noſtram cognitionem devolvatur.

4.  
*Scholarū  
privatarū  
modera-  
tio.*

Quantū incommodi ex privatis & extra ordinariis ſcholis oriatur, & ortum jam pridem in noſtra urbe ſit, paucis explicari non poteſt. Quamvis igitur pueros ſex aut ſeptem adhuc annorum, domi erudiri non improbamus: Nec vetamus quo minus quisq; ſuis liberis peculiarem Præceptorem præficiat. Tamen ut plures Cives conjunctis ſumtibus novam ſcholam aperiant uniq; alicui diſparis profeſtus pueros magno numero committant: multis modis pernicioſum: & omnium bene conſtitutarum Rerum pub. moribus contrarium judicamus.

5.  
*Earum  
Incom-  
moda.*

Exiſtunt enim hinc ſimultates, rixæ, pugnæ, inter ipſos pueros & Magiſtros: non adſueſcunt ad reverentiam erga Mi- niſterium Eccleſiaſticum & Scholaſticum. Detractionibus & vellicationibus publicorum ſtatutorum adſueſcunt: & complures incauti in ejuſmodi Præceptores, qui fanaticis

erro-





erroribus inquinati sunt & Catechismis aliisque libellis erroneis  
juventutem corrumpunt, incidere possunt, & ut exempla quo-  
tidiana testantur, solent.

Qui suis privatim disciplinæ studiorumque præfectum alere 6.  
commodè non potest: ejus filios vicini pædagogus suis adjun- *Pædagogi*  
gere & horis à publico docendi labore vacuis audita repetere *vicini*  
cum ipsis æquæ mercedis pactione poterit. Optandum enim *usurpatio*  
foret, neminem frequentare publicas scholas, qui non privatim *Privata*  
aliquem sive ex ipsis Magistris sive ex superiorum Classium disci- *inspectio*  
pulis, habeat inspectorem. Sic & Præceptorum labor fructuo- *Ratio va-*  
rior, & discipulorum profectus cõspectior in dies existeret. Cetero-  
quin, quod in ludis discitur, domi mox abjectis libellis facili-  
tè dediscitur. Nec ullum doctrinæ genus facile (ut ait Epicte-  
tus) percipi potest, nisi quis eadem & audiat, & dicat quotidie,  
& simul ad usum in vita transferat. Et propter communicatio-  
nem sermonis Latini, & studiorum puerilium collationem  
(cujus usus sanè maximus) multis expetendas hujusmodi so-  
cietates apparet, qui alioquin earum non egerent. Quod enim  
Philosophus ait, Hominem esse naturam Politicum animal,  
idem in juventutis institutione vel maximè cernitur. Ut ab in-  
dustrio Præceptore multò citius & facilius plures conjunctim,  
quam unus atque alter separatim erudiantur.

Ut verò Cives tanto pluris studia liberalium Disciplinarum 7.  
faciant, & barbaricum contentum eruditæ pietatis, qualem *Lutheri*  
temulentæ & vesanæ multorum voces crepant, abominentur: *concionis*  
commendatas iis cupimus gravissimas conciones D. Lutheri *de scholis*  
de scholis rectè constituendis: quæ Tom. VI. V Vitteb. & *commen-*  
V. Jenensi leguntur & meritò in omnium patrum familias & *datio.*  
scholasticorum manibus versantur. 8.

Quod enim Socrates dicere solebat, perfectum sibi opus *Socratis*  
institutionis videri, si juventutem satis efficaciter exhortari adhuc *sententia*  
ad huc *ap-*  
plicata.





studia suis monitis posset: Quibus enim hoc esset persuasum ut nihil esse mallent, quam viri docti & boni, ii omnem fore perfacilem doctrinam: Idem de parentibus & liberis eorum, quibus studia doctrinæ commendata esse debent, merito possit usurpari. Nec enim Musicam solam amor docet: sed omnis doctrinæ Magister & effector idem est felicissimus.

9. *De tardioribus non statim desperandū.* Quod si indoles forte defuerit, & præstans illa ingenii vis: ut diu multūq; movendo nihil tamen promoveri posse videatur: non tamē est, cur vel parentum vel Præceptorū spes infringat, vel discipulorum languescat industria. Nam neq; id quod in rebus præclaris & vehementer expetendis optimū, est desperandum: & prima sequentem, honestum est in secundis tertiisq; consistere. Itaq; cursus ille cuiq; tenendus, quē potest. Et si præcoces obtingere haud possint, serotini fructus etiam boni consulendi: qui sæpius ut Vinum & Olivæ, sunt omnium optimi.

*Ratio.*

10. *Quando & quomodo aliud vitæ genus eligendum.* Ubi vero frustra videbuntur omnia tentari, nec ullum operæ precium fieri: satius erit de consilio Præceptorum & Parentum, aut Tutorum aut amicorum, ad aliud honestum vitæ genus juniores traducere: quam cum irreparabili temporis & pecuniarum dispendio ad inutile genus studiorum florentem ætatem devinctam tenere. Non enim solis eruditæ, sed etiam aliis honestis omnium ordinum & opificiorum civibus opus est Christianæ Reipubl. nec omnibus vel eadem vel æqualiter sua Deos Opt. Max. distribuit dona.

11. *Exemplū Maximiliani Imp.* Maximilianum Imperatorem serò literarum & institutionis & rectæ pronuntiationis fuisse capacem accepimus: adeo ut parens Imp. Frid. III. aut mutum aut fatuum metueret esse mansurum: postea tamē indefesso studio, & eruditissimorum commercio, & literatum & eloquentem evasisse; Præceptoribusq; quod remissiores in urgendis operis fuissent, nec utilia potius quam Sophistarum nugamēta tradidissent. succensuisse

ut





ut Cuspinianus autor est. Non igitur temere de stupidioribus & tardioribus desperandum: nec paterna sollicitudo ab illis penitus avertenda: quod quidam faciunt.

Neq; verò talem Institutionis rationem flagitamus, ubi solis studiis adolescentes & pueri adhibeantur, ab omnibus domesticis negotiis omnino removeantur. Qualem Xenophon pueris Persarum in usu fuisse memorat, ubi totos dies à parentibus abfuerint: nec cibum alibi quàm apud Magistros in Schola sumperint. Hoc enim non fert cujuslibet civis Oeconomia: quin potius ultro citroq; circumcursare coguntur quorundam liberi, prout usus postulat: neq; profectò ingenii, neq; valetudini corporis, conducit illa Persica puerorum, totos in schola dies desidendi apud Magistros, quantumvis à Xenophonte celebrata consuetudo. Quare consilium Lutheri probamus: qui inter medias operas domesticas etiam unam atq; alteram horam studiis impendi postulat, sicut Julius Cæsar, Brutus, Cicero, Alphonsus Rex & alii inter gravissimas occupationes, studia tamen non penitus neglexere.

## CAPVT XXI.

DE EXTRAORDINARIIS  
QUIBUSDAM

&amp; primum

## DE HEBRÆA LINGUA.

Quamvis Hebrææ Linguae studia in scholis aliquibus Trivialibus profus negligantur & tanquam impedimenta coeterarum, explodantur, aut saltem ad Academias relegentur; tamen cum plurimæ celebres scholæ ea præsertim extraordinariis horis tractanda receperint: & instaurata, res illarum nonnulli demū anno ætatis 59. Hebræam linguam didicerint perspectaq; ipsius summa dignitate, necessitate,

K 2

uti-

2.  
Studia inter operas domesticas tractanda.

1.  
Hebrææ lingua cultura instauranda.





utilitate, inter Classium superiorum disciplinas, certis horis juventuti proponendam receperint: Existimamus ad Scholæ nostræ celebritatem pertinere, sicut antè aliquot annos factum, ita nunc etiam hoc studii genus instaurare.

2. Nota est enim Lutheri incomparabilis Theologi, *Ratio v. 1. gravissima in hanc sententiam exhortatio, initio Commentarii in Psal. XLV. Tom. 3. V Vitt: Lat. fol. 469. quam cygnea illa sua in Genesin Cantione sæpissimè repetivit: quod Hebræa lingua ut omnium reliquarum mater diligèter discenda, nec ullo modo negligenda sit: Etsi enim Linguae ejus nullus usus esset alius, tamen, inquit, pro gratiarum actione discenda erat, quod pars quædam religionis & cultus Dei est, eam linguam docere & discere; quæ sola, quicquid usquam divini est, docet. Auditur enim in ea Deus loqui, audiuntur sancti invocantes, & maximas res gerentes, ut studium quod in hanc linguam discendam collocatur, Missa quædam seu cultus Dei meritò vocari posset. Quare seriò vos hortor ne eam negligatis. Periculum enim est, ne Deus hac ingratitude offensus, privet nos non solum cognitione hujus sanctæ linguæ, sed & Græcæ & Latinæ & totius Religionis. Quam facile enim est ei excitare barbarum aliquem populum, ut hæ linguæ unà intereant. Sed præterquam quod pars cultus divini est hoc studium, continet etiam maximam utilitatem, si enim aliqui futuri sunt Theologi, sicuti necesse est, neq; enim omnes jura aut Medicinam discemus, oportet eos esse munitos contra Papatum, & aliud odiosum hominum vulgus, qui cum unam vocem Hebræam sonare didicerunt, statim putant se magistros hujus sacre linguæ, ibi nisi nos eam tenuerimus, tanquam affinis illudent & insultabunt. Sin autem nos quoq; muniti fuerimus cognitione hujus linguæ, poterimus eis impudens os ob-*





obstruere, sic enim Diabolo & ejus ministris resistendum est. Arbitror autem habituros nos nostræ religionis hostes, Hispanos, Gallos, Italos, Turcas etiam: ibi certe cognitione Hebrææ linguæ opus erit. Scio enim quantum mihi contra meos hostes profuerit. Quare hæc quātulacunq; cognitione infinitis millib, aureorū carere nolim. Et vos quoq; dabitis operā, qui aliquādo docebitis religionem, ut hanc linguam discatis, si non pecora cāpi & indoctū vulgus haberi vultis, quod editis Germanicis libellis adjutū, ut eunq; Evāgelia Dominicalia & Catechismū docet. Sed opus etiā est ducib, quibusdā doctrinæ, & oportet habere pugnatores, qui stent in acie contra aliorū nationum & linguarū homines, qui Doctores, Judices & Magistri in hac lingua sint.

## CAPVT XXII.

## DE EXERCITIIS STYLI EMENDANDIS DEQUE DIVERSIS EORUM GENERIBUS.

**V**Ehementer in his sese Præceptores plerunq; <sup>1.</sup> Ob laborē fatigant (sicut etiam res est verè tædiosissima, maximiq; <sup>& fructū</sup> laboris) sed minore cum profectu discunt. Cum igitur <sup>methodo</sup> laboratur & labores minui, & fructus augeri possint, si Methodus & <sup>& discretione</sup> discretio quædam adhibeatur: si ad facilitatem & usum omnia <sup>opus est,</sup> referantur, hæc è superioribus breviter collecta teneantur.

Argumenta pro captu discuntium brevia: nunquam autem <sup>Exercitia</sup> nimis proluxa præscribantur. <sup>sint bre-</sup>

Prolixitas enim non solum Præceptoribus nimium in <sup>via,</sup> corrigendo temporis eripit, sed etiam solœcismos tam multos <sup>3.</sup> cumulat, ut tamen si diligenter indicentur: non tamen ita deinceps <sup>Non pro-</sup> vitentur; Ideoq; emendationum immemores, proximo <sup>lixia ob</sup> scripto similes subinde adferunt: in eundēq; lapidē impingunt. <sup>dammū & incommo-</sup>





4. In finis igitur singula vocabula substantiva ediscenda; proximis Adjectiva, & pronomina, & verba his adjungenda: *Brevitatis media in octavâ & septima.* In 8 & 7 tres aut quatuor voces in unam sententiâ ex formulis Sebaldi Heiden aut monitoriis Dialogis Erasmi conjungendâ & memoriter colloqui more inter se recitandâ præscribantur: tantum ut declinationum & Conjugationum aliquem usum per omnes modos & tempora sibi parent & in loquendo observent, etsi regulas nondum teneant.

5. In 6 & 5 Formulæ Sebaldinis similes ad quotidianum colloquendi usum accommodatæ, in quibus Hadriani vocabula quædâ, quæ didicerunt, cum Adjectivis & Verbis cognatæ significationis, aut Imitatio Distichi Catonis nuper expositi: aut Sententia Catechismi proximè explicata præscribatur: primum singula voce Præceptoris indicentur: Regulæ prius in Syntaxi explicatæ, nō autem illæ, quas adhuc ignorant, ponantur ob oculos observandæ; Dein illa jam præmanis & præmollita & per ordine sequentes plerosq; interrogata, scribere coguntur: eaq; scripta præsentente Præceptore eadem hora perficiunt.

6. *Modus emendationis in inferioribus.* Emendator Solœcismorum non in aurem pueri unius insurrato, sed in aures totius cœtus, ut Scriptura loquitur, clara voce loquitur, cœteri attendere, quicquid uni dicitur, tanquam commune documentum jubentur. Hoc si jam in tribus aut quatuor scriptis factum fuerit, præcipui barbarissimi per ipsos auditores fuerint correcti: & repetitione regularumq; demonstratione, meliores lectiones in animos defixæ.

7. *Exercitia in Quartâ & Tertiâ proponenda.* Quartanis & Tertianis ex Terentio, Cicerone, Proverbiis, Erasmi vel maxime colloquiorum quotidianorum Formulæ proponantur, præsertim de rebus usitatis, relatu dignis, quas bini aut terni inter se subinde recitent.

8. *Facilius absolvenda.* Quod reliquum est, facilius absolvetur: eum difficiliore constructiones, minus notas phrasas aut dictiones cœteri jam audie-



audierint & correxerint: coetera namq; vel pauca, vel emendatu facilia fuerint.

Si cuius scriptum non poterit tribus istis horis publice corrigi, id nō privatim absente discipulo, sed in schola sequēte die, dum lectio repetitur & pensum recitatur, praesenti & inspicienti emendetur & solœcismi adductis regulis in quas impingunt, monstrantur. Nam si absentis scriptum corrigatur, parum aut nihil inde fructus ad illum redibit.

Inter emendandum quia certamina disputationū & contententium de loco, sicut ordo lectionum praecipit, praesertim in 4. 5. 6. usitata sunt, volumus in reliquis superioribus & inferioribus tales quoq; institui studiorum & mutuarum observationum & emendationum stimulos: non solum inter ejusdem Pentarchiae, sed etiam superiorum & inferiorū condiscipulos.

Nonnulli enim fuci, callida quadam ruditatis & ignavia latebra fallunt Praeceptores, maximè verò etiam semetipfos, dum furtim describunt aliorum exercitia: ex minutis cartulis lectiones memoriter recitandas legunt; qui condiscipulorum tali curiositate in apricum protrahuntur, cumq; superiorem locum occupent, vix infima Classis sessione digni convinctur. Qui tamen aliquando laudabili pudore & indignatione excitati, amissam antea desidia culpa spartam recuperant.

Ut igitur Horatius praclare: Quondam pueris dant crustula blandi Doctores, elementa velint ut discere prima: sic Praeceptores hujusmodi inventis, honoribus, praemiis, similibusq; stimulis pueros suae fidei commissos nō minus imò verò multo magis inflammabunt ad amanda & urgenda velut per ludum & jocum studia, quam plagarum saevitia & assiduitate.

Qui nimis multos admittunt Solœcismos vel in Latino vel Graeco scripto: vel Carmine: iis potius pars aliqua argumenti diligenter elaboranda, quam tota periocha meris barbarismis

9.  
Scripta  
residua  
praesenti-  
b<sup>o</sup> in scho-  
la emen-  
danda.  
Ratio.

10.  
Certami-  
na emen-  
dationum  
institutum  
da.

11.  
Ratio à  
fucis cal-  
lidis &  
ignavis  
excitan-  
dis & cō-  
fundēdis.

12.  
A testi-  
monio &  
simili Ho-  
ratiano.

13.  
Rudiorū  
remedia.

rismis





ritimis inquinanda injungetur : & præcepta Grammatices idē-  
tidem inspiciēda proponantur. Præstat enim pauca diligenter  
& elaboratè, quam multa negligenter & inquinatè scribere.

14. *Menda-  
ciū pœna.  
Ratio.* Qui ab alio elaboratum Thema vel soluta vel ligata ora-  
tione pro suo exhibuisse convictus fuerit : ut mendacii publicè  
adversus Præceptorem & suam ipsius utilitatem reus, graviter  
punitor. Quippe qui sic mentiri & fallere insueverit Præcepto-  
rē: multipliciter delinquit, & omnia velut media sui profectus  
repellit & perniciosus per omnem vitam moribus affuescit.

15. *Fallacium  
indicatio  
& casti-  
gatio.* Itaq; à condiscipulis etiam volumus tales ignavos fucos  
& pseudolos Præceptoribus indicari: aut pari cum delin-  
quentibus pœna conscios plecti.

## CAPVT XXIII.

DE EXERCITIIS INFERIO-  
RUM QUATUOR CLASSIUM SUB  
CONCIONIB. CATECHETICIS.

1. *Classes sex  
superiores  
Templi,  
quatuor  
inferiores  
scholam  
inrent.* CUM semestri quolibet Concionibus Cateche-  
ticis primum Vernæ dein Autumnales hebdomades  
quatuor tribuantur. quo tempore totus Cœtus superio-  
rum sex Classium in templum hora sexta : ad S. Hymnos, cuiq;  
parti Catechesis accommodatos partim figurali, partim Cho-  
rali cum populo Musica decantandos & expositionem brevem  
D. M. Lutheri publicè recitandam ac decantandam, sacrasq;  
Homilias audiendas deducitur : Interea quatuor infimæ Clas-  
ses in schola detineri & ex eadem parte Catechismi, quæ publi-  
cè tunc enarratur, informari solent.

2. *In scholâ  
pro captu  
puerorum  
Catechi-  
smus explicetur.* Ne verò tunc nuda sit Germanicæ explicationis recitatio,  
quam etiam domi matres exigere possent : jubemus pro captu  
& progressu puerorum infimæ succedentium Classium, voces  
& phrasas Latinas concionum materiæ affines proponere.

Dum



Dum ergò Proœmium exhortatorium ad retinendam  
Catechismi puritatem in templo habetur, proponantur infi-  
mis vocabula aliquòt Latino-Germanica: Quid Cate-  
chismus, Enchiridion, Doctrina, Institutio, examinare, discere,  
docere, similiaq; hujus generis denotent, unà cum recitatione  
Germanicâ & Latina cognoscenda: superioribus sacræ Sen-  
tentiaë quædam ut Pf. 34. Venite pueri audite me, timorem  
Domini docebo vos. &c.

Altera die cum primum Præceptum enarratur, ex eo  
ipso vocabula quædam: Timor, Dilectio, Fiducia; Tertio &  
quarto die ex 2do & 3. Præcepto ejusq; Latina explicatione  
binæ vel ternæ voces Latinæ: superioribus Classibus sententiæ  
ex illis compositæ ad ediscendum proponantur: ex iisdem de-  
clinationum & Conjugationum Exempla perantur: ne tan-  
tum propter Germanicam recitationem nudam ingredian-  
tur, & eorum quæ magno labore didicerunt, iis quatuor Se-  
ptimanis obliviscantur.

Cæteris diebus similiter ea quæ pro Concione in tem-  
plo traduntur non solum Germanicè recitentur: sed etiam  
pro captu puerorum Latinè delibentur at inculcentur.

Præceptores igitur harum 4. Classium singuli suis ad-  
sunt per has ipsas Septimanas, non uni aut duobus solis hunc  
laborem demandanto, ut cæteris liceat ferriari vel prodeam-  
bulare: sed magna serietate, ut ceteris diebus, huic Catechisti-  
cæ Germanico-Latinæ institutioni incumbunto, certo statu-  
entes, hanc operam & sanctæ doctrinæ & honestæ disciplinæ  
fundamentum esse.

Dictiones & Phrases & sententias ex Catechismo ex-  
cerptas in Decima & in Nona & Octava cognitatas, in diver-  
sos casus, personas, tempora inflectere, & ad usum transferre &  
septimæ Classis pueros, ut supra dictum est, docento.

L

Regu-

3.  
De Pro-  
œmio quæ  
infinia  
que supe-  
rioribus  
proponē-  
da.

4.  
De primo  
secundo  
& tertio  
præcepto  
inculcan-  
da.

5.  
sic & die-  
bus sequē-  
tibus pro  
concione  
tradita.

6.  
Præcepto-  
rum hic  
necessaria  
presentia  
& diligē-  
tia.

7.  
Dictionū  
phrasium  
& senten-  
tiarū ex-  
cerptarū  
inculca-  
tio.





8. *Regularū  
syntaxi  
carū ad-  
iunctio.* Regulas Syntaxcos iidem postea, cum ad Sextam transla-  
ti fuerint, sacris illis exemplis adungere iubentor: ubi ex  
Catechetica Concione in ludum deducti fuerint: similesq;  
complures opera Præceptorum adjiciunto.

9. *Laboris  
huius per  
semestre  
sequens  
continua-  
tio auctio  
& nume-  
ratio.* Eadem vero sequente totius semestris tempore horis  
Catechismo destinatis, repetuntor & inculcantor: aliaq; plu-  
ra de sacris vocabula & loquendi genera, singulis horis addun-  
tor & dies mensis cuiusq; & certa numeri nota in Diariis ad-  
scribatut: ut primo intuitu & Discipuli & Præceptoris dili-  
gentia cognosci ab examinadoribus & Scholarchis possit. Si-  
cuti vo: abula Latino-Germanica cum notis numerorum,  
excusa sunt.

10. *Ad Clas-  
ses supe-  
rioris  
quoad  
Græcam  
linguam  
applica-  
tio.* Eadem ratio deinceps in superioribus Classibus in ad-  
discendis Græcæ linguæ primordiis ex Evangeliiis Græcis &  
Quadri-lingui Catechismo Claii, Et versibus Evangelicis  
Beustii, utiliter potest observari.

## CAPVT XXIV.

DE OFFICIIS EXTRANE-  
ORUM ET NOBILIIUM.

*Licet in  
scholis  
æqualitas  
servanda.  
nobiliū  
samen &  
excellentiū  
liberis  
aliquid  
pre cete-  
ris conce-  
dendum.* **E**T si in Scholis privilegia, dispensationes & ex-  
emptiones locum habere non debent: sed summa potius  
isovoluta & æqualitas servari: unde consuefacta juvenus  
â teneris discat legibus parere: Tamen nihil obstat quin ube-  
rioris profectus gratia concedatur nonnullis extraneis, præ-  
sertim nobiliū & excellentium virorum liberis, pro commo-  
ditate profectus ipsorum, quod alioquin nec currendariis, nec  
Scholæ inquilinis, nec quorumvis Civium Liberis concedi-  
tur. Quod enim ad funeram deductiones ad Exercitia Musices  
in Templis & plateis, Festi Gregoriani vel Natalitii Carminis  
gratia, vel aliàs Chori Musici exercendi causâ fieri oportet: in  
his





his merito *Μερίστειαν* vel etiam *σοφίαν* quandam, boni publici gratia concedimus.

## CAPVT XXV.

## DE QUARTA CLASSE.

**H**Æc Classis eorum est, qui omnia illa quæ Præceptorum Inferiorum laboribus assecuti sunt, eò usq; perducunt, ut si studia ulterius continuare non possint, nec Græcam linguam aut Logicæ Rhetoricæq; præcepta perdiscere, Latinæ saltem loquelæ sciëntia peritiq; sic instruuntur, ut loquendo & scribendo mentis cogitata proferre queant.

Quicquid igitur vocabulorum, Phrasium, Regularum Scriptionum, concertationum ac Disputationum in proximis Classibus obierunt: ejus fructum in hac potissimum, non solum scribendo, sed & colloquendo expromere docentur: ideoq; huic Classi Præceptorem Latinæ linguæ, tam loquendo quam in scribendo peritissimum, præfici vel imprimis oportet.

Cum namq; Grammaticorum Canones, dictionumq; flexiones & proprietates pridem cognitæ habere possint, ac debeant, exercitiis jam assiduis opus est, ut quod memoriæ infixum est, id linguæ calamiq; plectro promptè expediteq; reddatur: ut hinc in Tertriã translati, quamvis ibi versus scribere, & diu Græcari per Oeconomica avocamenta non possint, habeant tamen Latini sermonis aliquam facultatem, quæ insigne benè morati civis suo tempore fuerit ornamentum.

Primum ergo fausti ominis loco, preces & Symbolum Nicenum & Psalmi, quæ ante matutinas lectiones recitari solent, exponuntur, & ad usum quoq; Præceptoris monstrati transferuntur, nihil ediscitur penitus, quod non antea fuerit explicatum, & in Praxin mutui sermonis veluti deductum, non solum Etymologicarum & Syntacticarum regularum





ostensione, sed etiam similium formularum Casibus, Personis, temporibus, mutatis, efformatione: sicuti de V. & VI. dictum.

5. In Epistolis Ciceronis explicatis, in sententiosis versibus *Profana.* Ovidii & Tibulli, in Proverbiis Salomonis, non ipsi pueris scribenda inungatur Analysis, sed voce Præceptoris repetitio tota & ad usum quotidianum applicatio dirigatur. Nam si suo Marte scribant Analysin: discunt prava pro rectis, duplum temporis perdunt & scarificatione tali quotidianaq; Caco-graphia eleganter scribere, ut multis accidisse videmus, dediscunt. Ne dicam, quod absente Præceptore, magna ad nequitiam fenestra patefieri solet.

6. Quia verò tres continuas laborare horas, uni nimirum & *Conjun-* discuntibus injucundum, visum est post decantatum aliquem *ctio cum* Hymnum ex Catecheticis Helmboldi cantionibus, hos pue- *Tertianis* ros cum superiore conjungere, ad audiendam Etymologiam *diebus* cum Tertianis, ex Majore Grammatica Philippi: Diebus Lun- *quatuor.* næ & Martis: sed Terentium Diebus Jovis & Veneris, à Ter- tio Magistro.

7. Cum enim eadem Lectiones iisdem horis in utraq; *Ratio.* Classe proponantur: & pueri pariter in Latina linguâ debeant exerceri, & Præceptoribus labor & discuntibus fastidium ca- ratione minui potest, quod oriri solet, cum idem in Tertia au- diendum est quod in Quarta didicerant.

8. Hanc verò discretionem Tertius Magister adhibebit, ut *M. Tertii* suis plures sententias, quam Inferioris Curia Pueris inungat *modera-* ediscendas: Breviores personas Quartanis, prolixiores Ter- *men.* tianis ediscendas, & agendo repræsentandas, proponat.

9. Ita fiet ut ingeniosiores exsuscitentur ex Inferioribus, qui *Fructus.* æquiparent superiores, eosq; exstimulent vehementius, sicut Poëta canit: *Tum benè fortis equum referato carcere currit*  
*Cum quos prætereat, quosq; sequatur habet.*

Sen-





Sententiæ Salomonis & Versus sententiosi ex Ovidio, 10.  
 non solum memoriæ mandandi, sed ad usum quoq; transfe- *Memorie*  
 rendi, mutata structura sermonis casibusq; variatis præscri- *mandata*  
 buntur, alioquin si tantum ediscere cogantur, omnia ceu cru- *ad usum*  
 da esculenta, & non commansa frustra, puerorum stomacho *transfe-*  
 infarciuntur, quæ nec digerere nec in succum & sanguinem *renda.*  
 convertere possunt.

In omnibus autem his operis enarrandi, examinandi, 11.  
 Latinè Præceptorum cum Discipulis loquitor: Discipuli Latinè *Præce-*  
 Præceptorem alloqui, Latinè inter se colloqui coguntur: ut *priorum &*  
 sæpè jam dictum: nam colloquendo longè facilius quam re- *discipulo-*  
 gulas sine usu inculcando Latina lingua discetur. *rum latina*  
*collocutio.*

Quæ verò sic inculcata, mollita, subacta fuerunt, & mu- 12.  
 tuis inter se puerorum concertationibus ventilata, ad eorum *Imitatio*  
 imitationem argumenta postea præscribantur: ita fiet ut plus *num pro-*  
 uno semestri quam aliàs toto biennio pueri in Latini sermo- *posuio.*  
 nis facultate proficiant. Nam solis præceptis ad ravim  
 inculcatis sine usu & applicatione, etiamsi quis totam Gram- *Ratio.*  
 maticam ad unguem recitare posset, nemo fiet loquendi peri-  
 tus: Usu verò quotidiano etiam sine Præceptis, plurimi &  
 Latinam & quamvis aliam vernaculam linguam didicere,  
 omnes verò ac singuli suam.

In Grammaticis etiam regulis & exemplis exponendis 13.  
 tam in Etymologia Nominum, Verborum, Adverbiorum, *Gram-*  
 quam in Syntaxi & Prosodia vocabulorum usus, addita una *matica u-*  
 atq; altera dictione vel brevissima Ciceronis, Terentii, Virgi- *sus urgē-*  
 lii sententiâ, declaretur, ut in adverbis loci, hac, illac: Plenus *du.*  
 rimarum est, hac atq; illac perfluit. 14.  
*Certami-*

Certamina de loco huic Classi usitata, non tam scriben- *na de loco*  
 do quam disputando, ex auditis lectionibus & vocabulis per *præsente*  
 inferiores Classes memoriæ mandatis instituantur: Et quidem *Præcepto-*  
 re reti-  
 horanenda.





hora repetitionis, præfente femper Præceptore: Latino non vernaculo fermone.

*CAPVT XXVI.*  
**DE MITTENDIS IN**  
**ACADEMIAS.**

1. *Hi auxi-  
lio & con-  
filio ju-  
vandi.* **C**Um Deus plerumq; soleat ex pulvere excitare pauperem, & locare ad latera Principum, injurii & iniqui effent, qui non unâ Dei voluntatem exsequerentur. Quod fit, si tales & confilio & auxilio juvantur: potiffimum cum Majorum liberalitas hoc unice voluerit, dum stipendia, non divitibus, fed pauperibus, non indignis, fed dignis, dari fanxerit.

2. *Miffo spe-  
cimine  
quotannis  
exami-  
nandi.* In Academiis dum vivunt, fingulis femestribus Specimen Eruditionis & Diligentiaẽ exhibento & transmittunto. Singulis annis examini per Scholarchas & Rectorem perficendo se sistunto, recusanti beneficium denegator.

*CAPVT XXVII.*  
**DE APOTACTICIS ORA-**  
**TIONIBUS ET DISPUTATIO-**  
**NIBUS.**

1. *Nemo  
abeat sine  
superiorũ  
confensu.* **N**emo in Academiam, sine præfçitu Parentum & Confensu Rectoris, qui benedictionem in studiis, felicitatem in actionibus optat, abeat. Abituriens disputatiuncula profectum, oratiuncula gratitudinem in benefactores testator. Qui enim neutrum horum præfçare valet, æquẽ aptus ad Academiam ac Afinus ad Lyrã.

Dispu-





Disputationum & Orationum materias sumito unusquisq; utiles & pias, quæ Patronos ad benevolentiam & beneficentiam excitent.

2.  
Nec sine  
Disputa  
tiunculâ  
& orati  
unculâ de  
materiâ  
piâ & utili.

CAPVT XXIX.  
DE EXTRAORDINARIIS  
ET PRIVATIS STUDIIS.

**N**emo Præceptorum, uti nec publicè, ita nec privatim proponat discipulis sine contentu Reſtoris ab ordinariis lectionibus diverſa: ne turbentur Ingenia: neq; cum cõtẽntu alterius Collegæ, præter vocationis ſuæ labores, alterius lectiones tractet & tradat.

1.  
Præceptor  
res non  
proponãt  
ab ordi-

Discipuli privatim repetant publicas lectiones: Et libros reperitorios more Pythagoreorum ſibi conficiant.

2. Disci  
puli repetiãt publica.

Nullos Autores, præter ſolitos, ſine conſilio & voluntate Reſtoris legant; ne neceſſaria ignorent, dum non neceſſaria tractant.

3.  
Sine Re  
ſtoris conſenſu nullos autores legant.

Unusquisq; Pædagogorum privatorum ſtudiorum rationem talem ineat, ne negligat diſcipulos ſibi concreditos, quorum cauſa tamen omnes præcipuè foventur, & habentur.

4.  
Pædago  
gi non negli  
gant di  
ſcipulos.

CAPVT XXIX.  
DE PHILOSOPHICIS  
LECTIONIBUS.

**V**erborum cura ſine rerum cognitione uti nulla, ita vana; Ideoq; à primis annis, præfertim ubi captus & profectus diſcipulorum admittit, fundamenta Philoſophiæ, in primis ex Matheſi inculcantor. Platonis hoc præſcriptum in Athenæo monet; dum in Auditorii foribus hoc lectum: *ὁ δὲ εἰς ἀγεωμέτρην εἰσὶτω!*

1.  
Quæ ſunt:  
Matheſis.

Post





2. *Moralia* Post Mathematicam, Practica Philosophia ex solo A.  
*Physica* ristotele conjungitor: Physices Aristotelicæ Præcepta, ut ha-  
*Et quan-* beant Exempla Argumentationum, adduntur. Et quia non-  
*doq; Insti-* omnes Academias visitare possunt vel solent, qui tamen ad  
*tutiones* rerum gubernacula sæpius admittuntur & evehuntur, Insti-  
*Jurâ.* tutiones Juris iis, quos Rector aptos judicaverit, præleguntur;  
 quò & Ciceronem rectius intelligant, & aliquando in dijudi-  
 candis causis notitiam aliqualem habeant.

## CAPVT XXX.

## DE EXTRAORDINARIO

## LECTORE.

1. *Qui tra-* **C**um tanti sumtus sint legati & sacriati, ut non  
*itet: sub* tantum ordinarii Præceptores & Collegæ ali & sustenta-  
*Examine* ri possint; sed & extraordinarium lectorem Magistra-  
*Classicos* tus constituere voluerit, poterit ille & Classicos Autores se-  
*autores* cundum præscriptum Rectoris legere & Tempore Examinis,  
 cum Rector ordinarios labores tractare non possit, breviter  
 singula repetere.

2. *Sub cani-* In diebus Canicularibus Botanicam imprimis cum fu-  
*cularibus* turis Medicinæ studiosis proderit tractare.  
*Botanicâ.*

## CAPVT XXXI.

## DE PROMOVENDIS ET

## COMMENDANDIS.

*Per Pro-* **Q**uamvis planta sæpius transposita radices non  
*motores* agat feliciter, tamen mitescunt & sæpissimè cicurantur  
*Et Prece-* ingenia sylvestria transplantata. Quod si igitur ex re viderint  
*prores de-* Promotores & Præceptores, quò quis alibi locorum pericli-  
*center* tetur fortunam, ita commendentur à Rectore, ne peccata à  
 tali-



talibus patrata ipsi incutiant pudorem, & ne sub nomine commendationis decipiantur graves & honesti viri. Ideoq; uti nullus facile sine testimonio <sup>testimo-</sup> recipitur; Ita nullus etiam cujuscunq; sit Clasfis, sine <sup>nio Recto-</sup> Rectoris testimonio, cum illius Clasfis Præceptoris <sup>ris.</sup> consensu & suffragio, præmissâ gratiarum actione <sup>consensu</sup> dimittitor. Nemo itidem opificio, nisi qui prius <sup>Præ-</sup> fundamenta Pietatis fideliter jecerit, & cum volun- <sup>ceptoris</sup> tate Scholarum & Præceptorum, quibus de <sup>Classici.</sup> profectu constat, dimissus fuerit, traditor. <sup>Opificia</sup> <sup>quomodo</sup> <sup>decedenda.</sup>

## CAPVT XXXII.

DE EXCLUDENDIS à  
COETU SCHOLASTICO.

Cum ense recidendum sit quod noxium, ne pars <sup>Quando</sup> sincera trahatur, omninò curandum quò <sup>quales &</sup> infames <sup>quomodo.</sup> excludantur: Moniti igitur semel atq; iterum qui negligentes in officio, perversi in moribus, non frequentes in Auditorio sine fontica causa, quam probare tenentur Præceptoribus, vocandi sunt ad Rectorem per ministrum publicum & ipsis, n̄ emendaverint, pœnæ legibus definitæ irrogandæ & exacerbandæ.

M

CA-





## CAPVT XXXIII.

DE CURA ÆGROTANTIUM  
PAUPERUM.

*Stipendiū  
ea propter  
Legatum  
asseruan-  
dum.*

*Gratis  
præbenda  
pharma-  
ca & ali-  
menta  
Contagio-  
sus nosa-  
comio re-  
cipiatur  
non con-  
tagiosus  
conclavi*

*peregrini  
suntur*

Christiani est curam habere ægrotantium & potissimum Pauperum. Ideoq; quum tales sint & nostri, stipendium, quod legatum est, asseruari debet in hujus rei usum; Et quamprimum in notuerit ab aliquo bonam valetudinem dissentire, curabit Rector, quò per ministrum publicum significetur Medico & Quæstori, si prius Præceptor illius intercesserit, & de diligentia & pietate testatus fuerit. Pharmacopolio pro medicaminibus necessariis singulis annis Quæstor Scholæ pecuniam ex Legato solvito: Alimenta ex Choro pauperum & beneficio Legati præbentor. Quod si Hospitio exclusus, morbusq; contagiosus fuerit, in nosocomii peculiare mundumq; receptaculum, ubi à Magistratu per Quæstorem & Rectorem impetratum, recipitor: si non contagiosus, in schola reparatum ad id destinatum conclave occupato. Peregrini, ne deserantur antequam innotescat Parentibus & Cognatis, iisdem beneficiis gaudeant: Ita tamen ut Parentes impensas, si res familiaris admittat, refundant. Salubre foret si & peculiare ædificium in monte Petrino vel

prope



prope Cœmiterium talibus destinetur; Et quo Mi-  
nistros habeant sanitatis, mediocris fortunæ homi-  
nibus piis & honestis, gratis in eo habitatio conce-  
datur.

*Recepta-  
culū assi-  
gnetur  
ministeris  
sanitatis  
habitacōis.*

## CAPVT XXXIV.

## DE ORPHANORUM

## CURA.

**O**Rphanos curare cujuscunq; sint fortis & ordi-  
nis, in primis ad Magistratum & Ministerium  
pertinet,

*Quæ Ma-  
gistratui  
& Mini-  
sterio in-  
cumbens*

Ideoq; ne deserantur ij, qui in Schola funda-  
menta Pietatis jecerunt, ad studia tamen minus apti  
sunt, Præceptores provident. Monebunt autem  
Rectorem quò commendentur Scholarchis & Ma-  
gistratui, per quem certis opificiis, ad quæ apti, de-  
stinantur.

*per Præ-  
ceptores  
& Recto-  
rem expe-  
diatur*

Sumtus suppeditabit Magistratus & curabit,  
quò ex Legatis certi reditus deputentur.

*per sum-  
ptus de-  
putatos.*



**E**T hac sunt qua nostri Majores de re Scholastica,  
quàm rectissimè constituenda censuerunt. Incide-  
runt quidem tempora nobis funesta, posteritati lugen-  
da, quibus nervi & rerum agendarum, & eorum, qua  
optimè constituta sunt, servandorum, maximè ex parte

M 2

inci-





incisi ac elificernuntur. Sed quia Deus est idem & af-  
 fugens & anchora afflictorum; quia spes est, è mediis  
 malis meliora prospectans: quia mens est, sapientiæ le-  
 gibus & armis ad perdurandum instructa. Virtus con-  
 stantia, Patientia fortitudinis coronam gerit; Et sacra  
 litera quibuscunq; vel conclamatissimis temporibus  
 tam Sanctarum Legum observantiam excutere, officii-  
 umq; deserere, quam à Sanctissimo ipso desciscere Deo  
 vetant, imo adversus adversissima quæq; non protervè  
 abjectâ, sed enixè instauratâ disciplinâ ire jubent. Ideò  
 leges hasce publicâ prælectione renovare, Senatui  
 visum est, qui & omnes ac singulos ad verum ac seri-  
 um officii faciendi studium cohortatur, & quicquid in  
 re hac Scholasticâ fovendâ atq; promovendâ suarum  
 & partium & virium erit, sanctè pollicetur, & votum  
 deniq; Præfationi annexum repetit. Faxit Deus, ut  
 bono consilio tradita, rectis & ad exequendum firmatis  
 animis excipiantur, ipsisq; operarum & operum effe-  
 ctibus exprimantur, ut eorum fructus ad omnes Ec-  
 clesia, Reiq; publicæ partes, aternamq; Dei gloriam  
 redundent. Data, relecta, & sigillo Civitatis commu-  
 nita, die XI. Mensis Junij, Anno reparatæ salutis  
 millesimo, sexcentesimo, quadragesimo  
 sexto.





---

# LEGES SCHOLASTICÆ

Singulis Semestribus in primâ Classe prælegi, Disci-  
pulisq; superiorum quatuor Classium tradi  
solitæ

## OPTIMI ADOLESCENTES AC ALUMNI

*hujus nostræ Scholæ Hallensis,*

Consistit ac vertitur officii vestri cardo in  
Doctrina & moribus.

*Ergo*

I.

### QUOAD DOCTRINAM IN GENERE.

**D**Octrinæ hanc rationem inite, ut  
*A sacris tanquam fonte orsi.*

*Linguas & artes adiciatis:*

*Compendia sectantes ac manductiones;*

5. Antequam plena scripta adeatis,  
Omnia ex Autoribus authenticis,  
Vivâ primùm Præceptoris voce:  
Deinde linguas loquendo, scribendo:  
Artes disserendo, utrasque legendo,

10. *De Præceptorum fideli consilio.*

Sic pleno instructi cornu copiar  
Ad superiores digni abibitis Musas.  
Hic scopus, hæc doctrinæ vestræ lex unica.

---

II.

Sed & MORES, ut voti hujus reddamini compotes,  
instruite.

### PUBLICICE IN TEMPLO.

**D**EUM attendite ac homines:

*Illius omniscium, et emendans ac vindicem oculum.*

Cu.





- Cujus vereri Majestatem decebit,  
 Ministros venerando interpretes,  
 5. Horum ergò ad vocem, DEI vocem, surgite:  
 Omissis nugis, strepitu, attendite,  
 Junctis palmis, compositisque oculis:  
 Oculis menteque intenti vitæ verba docenti,  
 Sed & manu notate proficua:  
 10. Ad nomen Jesu verendum, sacræque Triados  
 Fusi que sanguinis flexo poplite nudate capita,  
 Magistros & simul vestrarum mentium  
 Obsequiis piis heic veneremini,  
*In eade paræcia sua quilibet*  
 15. Ad pulsum campanæ primum vos sistite,  
 Non præceptorum, sed vobis destinato loco:  
 Sacrorum auspicia prece ac lectione facientes:  
*Pulpitis astantes, canendi dum tempus est,*  
 Præcipientemque, intuiti, voce illam communi juvate,  
 20. Voce clarâ, discretâ, & intelligibili  
 Aut Latino aut vernaculo idiomate,  
 Somnus, lusus, vicina murmura,  
 Pilei, libri, atramentarii dejectio,  
 Circumcursatio, subductio,  
 25. Ingressio aut tumultuosa egressio,  
 Librorum profanorum lectio,  
 Scurrilis in sacra locutio,  
 Facta sabbato profectio,  
 Sacræ communionis neglectio,  
 30. Absentia omnimoda,  
 Adjuta & in Suburbis heic Musica,  
 Prohibita cuncta, injuncta sint contraria.

## III. IN SCHOLA.

**S**cholam nefas ingredi absque Rectoris alloquio,  
 Et promissâ gnava subjectionis fide,

Cun-





- Cunctis præstande ex equo merum formatoribus :*  
 Quibus reniti velle sit piaculum.
5. *Albo sed hanc obstringat & Scholastico,*  
*Quam præstare occupatâ hospitii sede maturè addecet;*  
*Maturè præsentem, nec vagantem extra acroteria;*  
 Loco sedentem, qui cuique cesit suo,  
 Ad manum preces sint & cantiones solitæ,
10. *Quas iussus seriè, attentè, tardè, clarè recites;*  
 Retractus causâ fonticâ, voce vicariâ;  
 Injussus vultu composito ardentè adjuves.  
 Sacris peractis Doctoris ab ore pendcas,  
 Instructus libro, qui prælegitur proprio:
15. *Promptus ad nutum illius reddere proposita:*  
 Scripto vel ore vicinis absque flatibus,  
 Claro haut mutilato vocis sono,  
 Ut tua alii, sic illorum tu tibi pensa audias.  
 Monita nova erudita attentus cape,
20. *Ei gnarus annos, que mens ignota tibi dicitur.*  
 Somnus sub lectione & peregrinorum tractatio,  
 Loci mutatio, nugæ atque excursio  
 Absit, & fructuum comestio.  
 Doctore evocato præstanda silentia:
25. *Nec bonorum quippiam destruendum Scholæ,*  
*Vox Præceptoris vox DEL,*  
 Et salubria tradens, & iniqua prohibens.  
 Faceat hinc discantium obmurmuratio,  
*Convitiium aut seditiosa conjuratio.*
30. *Absentia justè probanda Præceptoribus*  
*Privato, publico venerandis honore.*  
 Quorum obtrectatores verò fas piùmq; redargui.  
 His insciis nec peregrinatio.  
 Nec comica suscipienda actio,
35. *Nec typis committendum quicquam publicis.*





## IV. ERGA CONDICIPULOS.

*Superiores exemplo inferioribus præire justum est,*  
**S**Quorum exorbitantiam absente præceptore coerceant,  
 Et refractarios Decani constituti indicent.

- Quibus ordiantur cantiones atq; preces, precumq; ordines:  
 5. Quorum suasui fas justumq; alios est obsequi.  
 Absque cavillis atque exagitationibus.  
 Murmura atque rixæ sub lectionibus:  
 Mendacia, furta, fraudes sub honesto titulo:  
 Librorum permutatio, donatio, venditio,  
 10 Convitia & nationum reprehensio,  
 Famosi libelli, contra invicem conspiratio:  
*Privata injuria illata vindicatio:*  
 Prohibita cuncta, injuncta sint contraria.

## V. IN URBIS PLATEIS.

**E**Gressi ludum domos rectâ petite  
 Absque stationibus, pugnis, clamoribus,  
 Cursu, risu, vagis oculorum motibus,  
 Parietum sordidationibus,

5. Lusibus, lapidumquæ jactibus,  
 Niveis pilis nulli facescite negotia.  
*Viris, mairanis, puellis honestis aperite capita.*  
 Discipulos præeuntes suos quisque domum ducito,  
*Eorum mores suo exemplo & voce temperans.*  
 10. E paupere censu, qui ostiatim victum quaeritis,  
 Modestè, tranquillè, ordine junctis paribus  
 Præsentés omnes, canentes suam quisque vocem, incedites;  
 Solus ædes ante civium nemo obambulet;  
 Pecuniam fideliter colligite:  
 15. Panes, vestes, nummos collocate optimè:  
 Funerum adeste deductionibus.  
 Quibus observandi demandata provincia,  
 Seu templa, scholæ aut illud expetant,  
 Seu plateæ; recusare caveant;





20. *Maturè & usque sint præsentès cœtui,  
Tumultus voce sedent, sed & calamo  
Junctis protervis notatos absentes exhibeant;  
Hos minis lædere, aut pugnâ piaculum.*  
*Qui cum Phœbæ necessaria acquiritis,*
25. *Modestia tranquillâ absque cujusdam offendiculo,  
Pias, honestas, exhibete cantiunculas;  
Nimijs & abstinete festinationibus,  
Vocati ad convivia modesti ac sobrii  
Haur nonam ultra canite.*
30. *Locum chori & scholæ conclavia  
Queis occupare mens est aut relinquere,  
Non conscia nisi Rectore facians.*  
*Pietati surgentes ac decumbentes,  
Diligentiæ, munditiæ usque studebitis;*
35. *Candelas ne inferte, nec hospites conclavibus:  
Extra Scholam noctem haud ullam exigite.  
Director chori exemplo canentes instruat  
Vocis morumq; extremè reprobos notet, corrigi curans aut  
In funerum curis adesse convenit [abigi,*
40. *Omnes vocatos, quos Præceptor voluit  
Adesse, sed modestos, taciturnos,  
Continuo parium è Scholâ egressu,  
Vitæ fugam, vim mortis & animæ salutem  
Pio ac DEUM timente expedentes pectore.*
45. *Ut obviam factos, sic comites funeris  
Ante ac in adibus nudato honorantes capite.  
Cantu omnes, nulli sepulchrorum lustratione  
Officium facite, modestèq; in Scholam vos recipite,*

## VI. IN ÆDIBUS PUBLICIS.

**I**N publicis cellis nemo conspicitor  
Bibens aut solus aut cum alijs.

Convivia, nuptias accedere permissum nemini,  
Affinitas nisi, aut jus sanguinis suaferit:

N

Sed





5. Sed crapula absit, saltationumq; levitas,  
Clamor insanus nocturna; grassatio:  
Joci scurriles cum sexu fœmineo,  
Aut clandestina etiam conjugii promissio.

## VII. EXTRA URBEM.

- O**mbulationes uti modicas nemo improbat;  
Ita concessis ne abutamini satagite,  
Piscari, venari, aucupia exercere,  
Balneis tingi frigidis,  
5. *Cauponis immergi promiscuis nefas esse.*  
Lusus & corporis exercitia reliqua agitate,  
Sed honesta, tempeſtiva sub feriis,  
Scorsim à vulgo, concorditer, *Sermone Latio,*  
Cum æqualibus vestriq; ordinis  
10. [Ofores ludi ubiq; judicantur *αξιόμιστοι*]  
Rixis sine & lucelli spe quoque minima,  
Charta absit, alea, tessera & pecuniæ quæcunq; depositio,  
Pugnæ, globi plumbei, glacialesq; aræ,  
Provocatio, pugionum, gladiatorumque gestatio.

## IIX. PRIVATIM.

- N**ec cultus tamen vos beabit hic extimus,  
Nisi domesticis curis ritè distringamini,  
Herumq; heramq; venerantes debite,  
Jusis obsequamini haut iniquis,  
5. His servire liberè, lubenterq; decebit,  
Quorum vos pascit alma liberalitas.  
Non egressio nisi consciis illis ulla,  
Nulla inficiis, honesta nisi, emanſio.  
Illorum & epulas boni consulite:  
10. Non compotator attrahatur exterus.  
*Mutetur haut locus Rectore nescio:*  
*Sicut nec occupetur hocce nescio.*  
Extrusus hinc Scholæ careat beneficiis.  
Non rixæ, turbæ exerceanur cum familia,  
15. Non clam ab illa extorqueatur pecunia.





*Officij sit cura maxima concediti:*

- Liberi diligenter, fideliter, humaniter  
 Ad speculum vitæ informentur propriæ,  
 Somno excitentur justo tempore,  
 20. Induti, loti, pexi preces peragant  
 Utraque linguâ pietatis capitum  
 Et Psalmorum uberius solatii,  
 Quas repetant ituri deinde cubitum:  
 Reddenda publicè addiscant antequam exeant,  
 25. Legendo, scribendo, recitando:  
 A reditu eadem inculcentur uberius,  
 Nil peregrini adjungitor.  
 Ad mensam dicendæ preces maturè inculcantor.  
*Cultus vestium, morumq; observator gnaviter,*  
 30. *Soli informantor, non vicinorum junctis liberis,*  
 Latio pasim loquendo assuescant idiomati.  
 Delicta domi corriguntor modicè,  
 Exemplo & monitu potius, quam verberè,  
 Constituitor abfuturi vices qui curet.  
 35. *Sed & cur huc misi vivatis advertite.*  
*Vestrasq; seduli urgete operas;*  
 Auroram prævertentes surrectionibus,  
 Loti, actis DEO gratiis, sâ codice Biblico  
*Orsi ac pietate, facite ordine singula.*  
 40. Complexi totum mente cursum studii  
 Doctorum ex mente, à quibus pendere,  
 Vestra & necesse quæ factu, summè facite:  
 Ruminando, ediscendo, lecta superaddendo,  
 Exempla & fingendo in usum convertite,  
 45. Quicquid gnava Præceptorum lingua docuit,  
 Vacua non vobis vacua sint tempora:  
 Quin præmeditandis explicandis impendite,  
 Præcepta diligenter & perdiscite,  
 Viresq; quid ferendo sint hinc noscite,  
 50. Nocturnas lucubrations fugite.






- Blasphema, Magica, diræ, jurandi levitas,  
 Obscœna mentis, verbi atq; operis:  
 Vestis scurrilis, pio honestoq; dissona:  
 Ut chlamydatum & calcarium gestatio,  
 55. Capilli ultra humeros demissio,  
 Illicita cuncta, decentia contraria,  
 Ut finito in album referuatur exteris:  
*Sic instante nemo fugam meditecur examine,*  
*Non valedicens nisi ex Preceptorum arbitrio,*  
 60. Consortia fugiens temerè divagantium,  
*Nec ausu domi privato se continens;*  
 Nec coetum, Scholæ Doctoresq; deferens  
 Ingrati hospitis stigma auferat,  
*Oratione ac publica actis gratis*  
 65. Confestim ad suos hinc transeat:  
 Nulla agitans discessum ante convivia,  
 Aut dies mensesve dimissus obambulans:  
 Quin potiùs solutis, si quæ contraxit, debitis  
 Primo die cum gratia discedito,  
 70. Sic teste morum vitæq; potiriet,  
 Doctoris instructione, hospitis auxilio  
 Gaudere & olim integritatis suæ  
 Messem valebit copiosam metere.  
 In horum maximo minimo qui deliquerit,  
 75. Pedissequam sibi paratam pœnam noverit,  
 Transgressionis ut momenta tulerint,  
 Verborum stimulos, ferularum vibices,  
 Multam in usum pauperum nummariam;  
 Et [ ista parùm si profecerint: ] vel carceres,  
 80. Vel publicas proscriptiones, ac vindicias  
 Serveriores secularis brachii.  
 Frugi qui sunt, lex sibi sunt, nostræ haut indigi:  
*Nauci homines pendunt pœnas transgressionibus,*

SCHO-





---


**SCHOLARCHÆ**

ANNO MDC LXI.

*Ex ordine Senatorio:*

Volradus Grefius, Consul.

Johannes Stützingius, Consul.

Johannes Georgius Bohsius,  
Syndicus.*Ex ordine Ecclesiastico:*D. Gottfridus Olearius, Superin-  
tendens, & ad B. Virg. Pastor.D. Sixtus Bertramus, Pastor  
ad S. Ulrici.M. Andreas Christophorus Schu-  
bartus, Pastor ad S. Mauricii.



INDEX CAPITUM ET CON-  
TENTORUM.

- Praefatio pag. 3.
- Caput I. De Scholarcharum Officio pag. 5.
- II. De Praceptorum Officio in genere p. 11.
- III. De Rectoris Officio speciatim p. 14.
- IV. De Officio Praceptorum Decima Classis, qua infima est  
& sex sequentium p. 15.
- V. De Cantorum Officiis p. 20.
- VI. De Superiorum Collegarum officiis p. 24.
- VII. De Disciplina p. 26.
- VIII. De Scholasticorum Officiis: 1. in genere p. 29.  
2. de moribus in Templo p. 33.  
3. de moribus in funerum deductione p. 37.  
4. de moribus in plateis & foro p. 38.
- IX. De Exercitio Linguae Latinae per Classes praesertim in-  
feriores p. 39.
- X. De Latina lingua exercitatione in superioribus Classi-  
bus p. 43.
- XI. De Comædiis & Tragædiis p. 46.
- XII. De Disputationum Tirociniis p. 50.
- XIII. De Declamationibus eorumq; Tirociniis p. 52.
- XIV. De Ratione interpretandi Latinos & Græcos autores  
& adusum interpretata transferendi p. 55.
- XV. De Græca Lingua Exercitiis p. 60.
- XVI. De Pauperum & Curvendariorum officiis p. 63.
- XVII. De Schola inquilinis symphoniacis & eorum contu-  
bernio p. 66.
- XIIX. De Publici ministri sive Calefactoris officio p. 67.
- XIX. De



- XIX. De Padagogorum officii p. 68.  
 XX. De Civium officii erga scholasticos p. 71.  
 XXI. De Extraordinariis quibusdam & primùm de Hebraâ  
 linguâ p. 75.  
 XXII. De Exercitiis styli emendandis deq; diversis eorum  
 generibus p. 77.  
 XXIII. De Exercitiis inferiorum quatuor Classium sub con-  
 cionibus Catecheticis p. 81.  
 XXIV. De officiis extraneorum & nobilium p. 82.  
 XXV. De Quarta Classe p. 83.  
 XXVI. De Mittendis in Academias p. 86.  
 XXVII. De Apotacticis orationibus & disputationibus. ibid.  
 XXVIII. De extraordinariis & privatis studiis p. 87.  
 XXIX. De Philosophicis Lectionibus ibid.  
 XXX. De extraordinario Lectore p. 88.  
 XXXI. De promovendis & commendandis ibid.  
 XXXII. De excludendis à cœtu scholastico p. 89.  
 XXXIII. De Cura agrotantium pauperum p. 90.  
 XXXIV. De Orphanorum cura p. 91.  
 Conclusio ibid.  
 Leges Scholastica pro discipulis breviter contracta p. 93.  
 Nomina Scholarum p. 101.

FINIS,



XXV De Pedagogia  
XXIV De Grammatica  
XXIII De Poetica

LECTIO I  
EXERCITIORUM  
EPIGRAMMATUM  
PRAELECTIO PUBLICAE  
Gymnasii  
Rationi  
Lectio II  
Lectio III

Lectio IV

de Jure


Typis Cursus













# LEGES Scholæ Hallensis

ab

Lata A.  
Renovata  
Typis vero

Præl

